

cm
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29

Det här verket har digitaliseringen vid Göteborgs universitetsbibliotek.

Alla tryckta texter är OCR-tolkade till maskinläsbar text. Det betyder att du kan söka och kopiera texten från dokumentet. Vissa äldre dokument med dåligt tryck kan vara svåra att OCR-tolka korrekt vilket medför att den OCR-tolkade texten kan innehålla fel och därför bör man visuellt jämföra med verkets bilder för att avgöra vad som är riktigt.

This work has been digitised at Gothenburg University Library.

All printed texts have been OCR-processed and converted to machine readable text.

This means that you can search and copy text from the document. Some early printed books are hard to OCR-process correctly and the text may contain errors, so one should always visually compare it with the images to determine what is correct.



GÖTEBORGS UNIVERSITET

Ex. B

Ribeby

JOHANNIS MESSENII
SCONDIA
ILLUSTRATA,
Seu
CHRONOLOGIA DE REBUS SCONDIÆ,
Hoc est,
Sueciæ, Daniæ, Norvegiæ,
Atque una Islandiæ, Gronlandiæque,
tam Ecclesiasticis quam Politicis;
â mundi Cataclysmo, usque annum Christi MDCXII.
gestis.

Primum edita,
Et
Observationibus aucta
â
Johanne Pering斯基öld.



STOCKHOLMIÆ,
Typis OLAVI ENÆI, ANNO CHRISTI M DCC.



SERENISSIMO ET POTENTISSIMO
DOMINO,

D. GUSTAVO ADOLPHO,
Sueciæ, Gothiæ & Vandaliæ Regi, Magno
Finlandiæ Principi, Esthoniæ , Careliæque Duci,
atque Ingermanniæ Domino ;

Heroi Clarissimo & Fortunatissimo, Invictissimoque, Domino meo Cle-
mentissimo , utriusque perpetuum exopto felicitatis in-
crementum, religiose , officioseque.


*Um ante trilustre temporis ex-
acti spatum , REX glorioſiſſime , anxiā diu voluta-
rem cogitatione , cui potiſſimum ſtudio , atatiſ mea reſi-
duum , manciparem , incidi tandem in auream prorsus
hanc Diodori Siculi ſententiam : Nihil utilius , jucundiusque po-
teſt cogi-
tari , quam in humanae vitæ theatro , quod historia partibus omnibus
mirè iſtructum habet , ſedentem periculis aliorum , ſine ſuo periculo
cautum , ſapientemque fieri ; exempla captare omnigena , quæ ad tuum uti-
liter uſum qualibet in re traducas . Itaque fluctuans animus illâ his ac-
quievit conditione , ut Scondia , velut natalis ſoli , traderetur in primis
penitiuſ cognoscendæ , atque illuſtrandæ . Tali autem ſatisfacturus de-
creto , ex ampliſſimis hujus peniſulae regniſ , permultos iſforum conqui-
ſivi Chronographos ; typis ♂ calamo exaratos ; priſcos ♂ neotericos ;
ſolutæ ♂ ligatae orationis ; indigenas ♂ alienigenas ; quæ Latine , quæ
Scondice ſcribentes . Atqui hos ſedulâ diu pervaſens manu , creberrimiſ
fecundoſ erroribus , fabulis refertoſ anilibus ; portentoſiſ mendaciis , an-
tilogiis , convitiis , calumniis , iſpoſturiſ ♂ conjecturiſ adeo plenos , depræ-
bendi , ut me temporis pañiteret impensi , operiſque puderet .*

*Verum enim verò ne oleum ♂ operam peritus omnem , quod ajunt ,
deperderem , neve Scondia concepto prorsus defraudaretur emolumen-
to ,*

dintius certiore destituta Chronico, & Cimmeriis fabularum tenebris involuta, ex præfatis congesi Historiis, seu potius historiarum scoriis, verissima & potissima quæque momenta monumentaque, rerum causas, modos & eventa, quantum licuit, sedulò passim discussi, exordiens ab eluvione orbis generali, & chronologiam X. comprehensam Tomis, usque annum Christi M D C X II. fidelissimè perducens, velut ipsa hujus submittenda operis publicationi, invictis omnino demonstrat rationibus, Censura Apologetica.

Ex qua simul evadit manifestum, quam crebras & fœdas veterum detexerim, correxerimque scriptorum hallucinationes; quantum laboris huic molestissimo impenderim per XX. annos negotio; Et quod æquior, vel exactior non prodierit unquam rerum calculus Scondicarum, Ecclesiasticam & Politicam simul complectens historiam; Idque etiam quivis in historia Scondiaæ vel mediocriter versatus, hoc opusculo lexitato ac æstimato, non invitus tecum, sanè confitebitur. A quo proinde solo ingenuam harum exspecto lucubrationum censuram, & curam ejusdem exigo, mihi plura suppeditaturam, his inserenda libris documenta, ut altera deinceps hujus editio Chronologiae, auctior & laetior in orbis prodeat Theatrum.

Interea temporis ad MAJESTATEM TUAM ex diverticulo sermonem convertens, depræhendo nemini potiori jure, quam MAJESTATI TUÆ hunc primum annualium Tomum Scondicorum, esse consecrandum. Nec istud vulgares propter rationes, quæ siquidem me vel tacente, cuilibet citra difficultatem occurrant indagatori, earum supersedeo commemoratione. Harum tamen potissima censetur, quod Scondiaæ Chronologiae, Regum primarius Scondicorum quadam sibi lege peculiari, vendicet inscriptionem. Præsertim verò cum vetustissimos, illustrissimosque M^{tis} T.^æ velut de tumulo suscitent Majores, inque throno Antecessores glorioſissimos, sequens Historia, heroica illorum facinora oculis iterum contemplanda proponat; Quæ imitanda, seu fugienda posteris, indice quasi protento, demonstret. Is enim laudatissimus ab historia decerpitur fructus, utpotè, quæ rerum gestarum cum laude, aut vituperatione definiatur narratio: Et imago veritatis absolutissima, quæ rem neque majorem, neque minorem æquo repræsentet animis. Unde si quandò, rerum provocatus occurrentium necessitate, meoque invitatus officio, scelus quoq[ue]iam detestabile, citra personæ insector respectum, vel laudabile promeritis non defraudo encomiis facinus, haud confido MAJESTATIS TUÆ indignationem mihi ullatenus formidandam.

Quandoquidem pro sua, MAJESTAS TU^A probè intelligat prudentiâ, historiae ac memoriae apud posteros conditionem, cautionemque, quadam illud
lege

lege, sine gravi non violanda piaculo, flagitare. Nec etiam ignoraret, sibi aliorum flagitia, quantumvis sanguine propinquorum, esse nequaquam vitio, aut ignominiae vertenda.

Quamobrem tanta liberatus formidine, \mathfrak{G} clementia, benevolentia que porrò M. tis T. \mathfrak{x} in me, \mathfrak{G} hasce quales quales elucubrations, animatus ipsas M. ti T. \mathfrak{x} qua par est subjectione, ac devotione do, dico, consecroque; reverenter \mathfrak{G} vehementer obsecrans, ut me celsissima MAJESTATIS Tuæ addictissimum celebrationi, Scondiæque deditissimum illustrationi, atque meum, huic gnaviter invigilans intentioni, opusculum, Regio complecti favore non dedignetur.

Mihi autem reddito ritorum compoti, sic infractus accrescit animus, ad maturandum, \mathfrak{G} quantocvys publicandum residuos IX Chronologiae Tomos Scondianæ. Interim \mathfrak{G} perpetim, Deus Optimus Maximus, MAJESTATEM TUAM Potentissimam, Conjugem Serenissimam, Liberos illustrissimos, Proceres nobilissimos, ac subditos Populos fidelissimos, ad sanctissimi nominis sui honorem, Sueciæ, Gothiæque decorem, incolumes conservare dignetur. Cursim Cajaneburgi, mense Junio, Anno M D C. XX.

MAJESTATIS TUÆ

Subjectissimus, fidelissimusque
Servitor

JOHANNES MESSENIUS.

PROGRAMMA.

Scondia belligeris, quæ pressi gentibus orbem,
Ipsò perplexum nomen, & acta gero:
Scanzia nonnullis; *Scandi* quoque *navia*; *Thyle*;
Vargion; ast, aliis *Baltia* sàpè vocor;
Basiliam pariter, *Scythiamque* vetustius ævum
Censuit; Huic dicor *Scondia* jure meo;
Utpotè dives opum, peninsula laudor amæna;
Æstibus arctoi pulsor utrinque sali:
Me nec *Hyperboream* falsò dixere vetusti
Scriptores, miris me celebrando modis:
Occiduis quoque dicta viris *Normannia* quondam,
Quorum diripuit tunc mea classis opes:
In tria præcipue distinguo Regna per ampla,
Quæ *Sueo* cum *Nori* gente, *Gothisque* colit:
Huc tamen & spectat *Danus*, velut inclyta proles;
Terraque quos *Viridis*; quos *Glacialis* alit;
Ferogius, simul *Hetlandus*, *Finnoque* subortus
Gente licet *Venedâ*; nec minus *Estho*, *Livus*:
Altifono mea gesta viri cecinere cothurno
Plures; æquali non tamen usque fide!
Ablabius, mea progenies; *Præsulque* *Ravennæ*;
Gloria *Roschilidum*, *Saxo*; *Bremæque* decus:
Crantius *Hamburgo* genitus; sed *Landanus* alter,
Ziglerus; fratribus nobile parque, *Gothi*:
Entius; *Huitfeldus*; *Gislonus*; *David*; *Achilles*;
Æquior his certat *Meslenianus* abax;
Non favor aut odium præsunt rationibus isthinc;
Calculus æquivolâ volvitur ipse manu:
Pingere nevè suis, aliis nec fraude Chimæras
Fingere consuetus, gratior orbe viget:
Hunc sequor, hunc sequitur, parvo qui nostra labore
Noscere gesta velit, devia nulla timens,
Ut neque mastigum quemquam: Protectus ab armis
Veri, sub regis casside tutus ovat.
Ergò Monarcharum, liber, atria vise meorum;
Inclyta priscorum pande trophyæ patrum!
Qui decus excelsum face clarâ prodit avorum,
Acceptus quidni Regibus hospes adest?

CHRO-



CHRONOLOGIÆ SCONDIANÆ TOMUS PRIMUS,

*Ab ipso mundi eluvio, usque annum
salutis humanae, M. C. L, procedens.*



Nno conditi orbis, M DC LVI.
sempiternus hujus universi creator & mo-
derator Deus, gravissimis hominum flagitiis provo-
catus, cœlorum subductis cataractis, scelus mō-
talium aquis vindicibus mulctavit. Noë vero ho-
minum æquissimus navi vectus salutifera, mense pri-
mo, anni M DC LVII. in Ocilâ montis Gordiæi jugo, prope fluvium
Scythiaæ, seu Armeniæ Sagæ, Araxin, cum familia salvus evasit.

Illuc denuò hominum genere instaurato, plurimumque multiplicato,
Noa inde anno centesimo ab eluvione progressus, mundum tribus divisit fi-
liis, Semo Afiam, Chamo Africam, & Japheto tribuens Europam, in-
habitandas.

Meminit Berossus cuiusdam Thuisconis quarti Noæ filii, quamvis ille
facris literis ignotus, qui anno post diluvium CLVI. natus sit Imperium ab
Adulâ monte, usque in Mesambriam Ponticam, & a Tanai fluvio, ad Rhe-
num illuc cum suis proficiscitur liberis, & contribulibus Semo Japhetoque
procreatis.

Anno CXCIII. Thuiscon primos in Scondiam colonos, Magogo po-
tissimum ortos, sub auspicio & imperio GETÆ, alias Godi & Gogi appellati,
Noæ de Semo abnepotis, expedivit, sensim per Sueciam, Gothiam & Norve-
giam propagatos: Hinc Scondiotis illa linguaæ, & morum, cum Thuisconi-
bus similitudo profluxit, quæ nostram usque tempestatem, nonnihil variata,
perseveravit utrobique.

Floruit verò sincerus Dei cultus aliquandiu in horum mentibus, donec
aureo innocentiae seculo evoluto, Astrææ succederet omnium propagatrix
malorum Pandora; & Ninus, Beli patris cultum hominibus obtruderet,
huc quoque tandem rivo derivatum infasto; Unde Scondiani solo hodie
retento vocabulo, sculptile appellant quodvis, Belätte/ hoc est Beli proge-
niem seu effigiem.

Anno secundum aquas, CCLIII. Thuiscon summus populorum mode-
rator

rator borealium, horum conspectâ demum malitiâ, æquissimas Sarmatis, Germanis atque Scondiis tradidit leges, & prima literarum Elementa; Quibus istæ sunt usæ nationes, donec ex Latio, una cum religione Christiana, Romanos acceptarunt characteres: Thuiscon proinde, non Ulphilas, hujus scripturæ inventor est statuendus, quam Gothicam & Runicam nostri appellare consueverunt.

Anno post eluvionem, CCCVI. in fata concessit ultima optimus princeps Thuiscon, quem posteri deinceps, Nini exemplo seducti, pro Numine venerari non erubuerunt, conditoris sui, prô scelus, tum prorsus oblii.

Nec multo post tempore Scondiani Getam seu Godum, de vitâ sublatum, & Deos quoque inter relatum, pari decorarunt honore, ipsum tonitruorum & fulgurum stolidè credentes effectorem, & hujusmodi aeris impressiones, affectionesque, Gogubben/ & Godegårdn/nempe senis Godi tumultuosum incessum, nuncupantes.

Verum quisnam Getæ in Scondiæ successerit gubernatione, veterum nemmo meminit scriptorum. Sceptra porro Thuisconis per ordinem, prolixo tempore moderati sunt Manus, Ingevon, Istevon, Germion, seu potius German, Marsus, Gambrivius, Suevus, Vandalus, Theutanes, Alemannus, Hercules vocatus, qui forsitan & Scondiis imperarunt.

Enimvero Marsum existimo eundem cum Marte fuisse, quem veterum quidam apud Getas ortum tradiderunt, & præcipuum eorundem tutelarem statuit Martem Virgilius, à quibus etiam, velut belli numen, sanguine captivorum placabatur; Qui deinceps ab illo virum quemlibet strenuum & pugnacem, Mâder appellantur, sicut pervetusti legum codices Scondicarum testantur.

Deinde præter Getam & Martem, spectabiles & admirabiles illas cœli fæculas, Solem atque Lunam, Scondii adorarunt; velut etiam fragorem nubium & fulgur, hoc Blîxen Deum nuncupantes, illumque cœlo intonante ab aliis impugnari Diis arbitrantes, crebro sagittas in aërem torquebant, ac horrendos in terra fragores, malleis simul prægrandibus edebant, ita suis opem numinibus laturi.

Quæ neqüe templis includere, neque ulla oris humani specie fingere, vel sculpere voluerunt, Numinum majestati & dignitati nequaquam id conveniens arbitrantes, multoque post tempore, fanum illud Upsaliæ primum fabricantes, aliarum invitati gentium exemplo.

Itaque sub dio in præcelsis montium jugis, ab oriente in occidentem protensis, Deorum vacabant suorum cultui, super congesta in medio lapidum macerie, sacrificiis indulgentes; quæ passim hodie loca etiam visuntur; sed in monticulis à meridie septentrionem versus discurrentibus, non sine mysterio sua habuerunt cœmiteria, sculpulchraque, ingentibus decorata saxis, mortui epitaphio insignitis.

Funera vero sua in primis integra terræ mandabant, armis defuncti, aliisque rebus in vita charioribus simul humatis: Cæterum progressu temporis invaluit consuetudo mortuos cremandi, & cineres lebete inclusos tumulandi, quibus excelsum terræ cumulum, non secus ac pyramidem, imposuerunt.

Jam ad Scondiorum reversus superstitiones, depræhendo illos auguriis, auspiciis, sortilegiis, admodum fuisse deditos; Equorum similiter hinnitus, fremitusque observasse, & hinc de rerum eventu documenta captasse.

Post diluvium seculis proximis, Scondia, nirmum auctis non sufficiens incolis alendis, primitum effudit colonorum agmen in vicinas Oceani insulas, Selandiam, Mœoniam, Falfriam, Fioniam, Jutiam & Lalandiam, generali tum temporis vocabulo Witaslät/ hoc est, Vitorum planicies, inde appellatas.

Ex his porro insulis, vel potius ipsa Scondia, & præsertim Norvegia, pro-

pro cursu temporis remotiores occidui maris insulæ, Orcades, Hebrides, Gronlandia, Ferogia & Islandia, cæteræque primos consecutæ fuerunt inhabitatores; quæ secunda censetur Scondiorum emigratio.

Anno DCCC LXXV. secundum Orbis inundationem, & ante Salvatoris incarnationem M CDXXX annis, contigit tertia hinc emigratio in Gotlandiam primum, auspicio & ductu Berici, vel potius ERICI Scondiæ dominantis; Quando insula maris orientalis primos nausta colonos, Gothorum fideliter adhæsit imperio, usque annum Christi MCCC LXI.

Reliqui autem Gothorum, angustâ non contenti insula, Ulmerugiam classe invadunt, sibique subdunt, Vandals inde profligatis.

Cæterum hac expeditione militari, navium una lentius velificans, à reliquis per contemptum, Gepa / & classiarii Gepar / id est, tardi vocabantur; sed hanc ventorum, non propriam, segnitiem, Gepidæ à Gothis ideo deficietes, clarissimis postea editis per mundum facinoribus, abunde confutarunt, immeritam vocis labeculam ita abstergentes.

Interim Goths, Ulmerugia posthabita, Cimmerios incurvant; inde Ponti accolas infestant; Moesiam & Thraciam expugnant, ad Danubiique confident ripam: ac demum Thraciam repetunt, hincque denuò progressi, Italiam & Hispaniam pervadunt, ac multo afflidunt tempore, donec in hac tandem, obtinuerint diuturnum sane imperium.

Atqui Gothorum uxores, dudum à maritis desertæ, & à populis infestatæ finitimus, arma corripunt, hostibusque subactis, viætrices se in minorum Asiam effundunt, in Armeniam, Galaciam, Syriam, Ciliciam & Persidem, quas insigni subjugatas fortitudine regiones, longo tenuerunt dominio.

Nec vero solum Viti, seu Dani, Goths, Gepidæ & Amazones, Scondiam agnoverunt patriam primævam; sed etiam Getuli, Heruli, Suevi, Hunni, Alani, Longobardi, Normanni & Ascomanni, qui olim de toto propemodum orbe insigniter triumpharunt, & hodie per suam triumphant, regnante gloriose passim in Europa progeniem: Ex qua invictissimus fuerat etiam Carolus V. qui quod inclytum à Gothis duceret genus, sibi per quam honorificum existimavit.

Quocircà Scondiam merito gentium officinam & nationum vaginam, prisci nominant historici, utpote quæ diverso mundi labentis ævo, plusquam XXX. hujusmodi fortissimos emiserit exercitus, in oras transmarinas atque transalpinas; subsidia identidem nova indigentibus submiserit; confilio astiterit, & Reges illis bellorumque archistrategos identidem subministraverit peritissimos, ita satisfaciens Prophetæ vaticinio Hesechielis, de Gogi eruptione.

Ex hujusmodi porrò turmis, multi saepius in Scondiam peregrè reversi milites, non modo ipsam moribus & luxu fœdarunt exoticis, verum & nova contaminarunt superstitione: Nam præter alias hujus rei vanitates prorsus abominabiles, illorum crebro in patriam remeantium instinctu, & religionem in Delo vigentem insula celebrantium, fuit à Scondiis decretum hyperboreis, ut binæ quotannis virgines, sacrâ illuc Scondica in triticea deferrent stipula, quæ ibi fuerunt honorifice admodum suscepitæ. Talis autem sacrorum missitatio, multis fuit seculis observata & frequentata, donec Scondii virginum offensi remoratione ac violatione, solum per gentium manus intercentum, sua in Delum sacra expediunda censuerint consultius.

Atqui ad Scondianorum redeat calamus emigrationem, qui exploratâ regnorum amœnitate transmarinorum, opulentia & fœcunditate; hinc turmatim, certatimque illuc contendunt. Quibus etiam excursionibus præbuit causam, quod Scondios ex polygamia nimium multiplicatos, peninsula minus hoc exculta ævo, non posset sustentare; Ideoque fuit lege in primis fangi-

tum, ut tantæ multitudinis gratia imminuendæ, quælibet imbellis ætas trucidaretur. Quod tamen nefarium edictum prudentissima, nobilissimaque virgo, Disa, impedivit, persuadens Regi, ut forte missa, ad mortem destinati, vastissimas Scondiæ borealis solitudines susciperent excolendas & incolendas. Qua quidem occasione, septentrionales Sueciæ regiones, Helsingia, Angermannia, Bothnia, Jemptia, Gestricia & Medelpadia, primos nanciscabantur habitatores; Disaque propterea honores in Scondia perpetuos.

Hoc deinceps Scondii exemplo invitati, lege statuerunt firmissima, ut Patres familias ex grandi liberorum numero masculorum, bellis idoneorum gerendis, unicum duntaxat filium bonorum hæredem domi retinerent, reliquis ad peregrinam expeditis militiam. His regius præficiebatur filius, & inter alios domi remanentes principes, ita regnum dividebatur, ut quidam ipsorum mari dominarentur, piraticam exercendo, dicti propterea Reges fluctivagi; Alii continentis tenerent Imperium, *Nes-Konungar & Skogz-Konungar* prout summus eorum/ *Enewals Konung* dicebatur, appellati, quos inter finibus ditionum, continua fuit dimicatio.

Anno diluvii DCCC.XLIV. Gigantes Cananæi, auspicio Josuæ ex Palestina expulsi, postque multifarias in orbe mansiones, Scondiam & finitimas ingressi insulas, habitatore, propter creberimas inde procursiones, nimium exhaustas, longè magis excultas, plusque humanæ idoneas mansioni, reddiderunt. Quorum admiranda hic prorsus opera, indigenæ & alienigenæ, non citra stuporem, nostro tempore passim contemplantur.

Anno inundati Orbis MC XXVII. subruto per Græcos Ilio, extorrium pars Trojanorum, Hectore progenita, per Hellespontum & mare Euxinum, ad ostia littoraq; Mœotidis, demigravit. Illic vero morantes aliquandiu Trojogenæ Scythæ, Cimmerii, Cimbri, & Sicambri appellantur: Quibus Gothi ex Rugia crebrò erumpentes frequenter congrediuntur.

Anno Christi præcedente incunabula CDXL. Gothi Trojanos aggressi Cimmerios, regem ipsorum Antenorem cum præcipuis debellarunt agminibus.

Anno Salvatoris nostri ante Natalem CDXXXIII. postquam Marcomirus, Antenoris filius, octennio Gothi frustra obluctatus fuisset, cum residuis suorum cohortibus in Germaniam cogitur inde secedere. Ibi vero à Saxonibus per benignè suscepimus, Geldriam, Hollandiam & Chersonesum Vitorum suscipit incolendas.

Hinc progressu temporis quædam ipsorum turmæ, in Scondiam penetrantes, immanes hic gigantes, Scondiotis per summam dominantes tyrannidem, bello sæpius cum iis commisso, demum fermè extirparunt. Quam obrem hæc Cimbrorum in Chersoneso nostra, & Trojanorum in Scondia, prima fuerunt exordia.

Anno Christum præcedente CCCLIX. Surtvinbartericus Britonum Rex, Vitos confueta sibi tributa solvere abnuentes, bello compulit illato.

Anno CXXIII. priusquam Christus nasceretur, Trojanæ Cimbri, regionis extra Scondiam obtentæ permoti angustiâ, & suæ nationis multitudine compulsi, copiosissimos ex Fregia veteri, Chersonesoque producunt exercitus, & occiduis Europæ regnis diu, velut tempestas horrida, incumbunt. Post Cimbrorum porro egressionem, Jutor clarissimus Saxonum Princeps, sibi Chersonesum subjugat, deque suo appellat nomine, Jutiam.

Cæterum isto mundi fermè labentis ævo, potentissimus quidam floruit in Scondia Rex SNORE, cognomento Humble vel Gumble, filios habens fortitudinis eximiæ ternos, nempe THORUM, Dan & Angul. Quorum primogenitus Gothiæ ac Finlandiæ, Quenlandiæque seu Amazoniæ nacltus habenas, tanta populos sibi rexit subjectos clementiâ & prudentiâ, ut mortuus

tuus ab illis in Deos referretur, colereturque, quintum septimanæ diem de ipso nuncupantibus, & primum anni mensem: Ast secundum, ex filiæ Gœjæ vocarunt nomine, quæ pariter Divinos adepta fuit honores.

Hujus autem frater NORUS ad thronum promotus Borealis in Scondia Regni, primus evasit ipsius Monarcha; Non tamen ab eo fuit Norvegia vocatum.

Gotum habuit Norus germanum, cuius ex filio nepos, Getero, Ostenus, sceptro deinceps Sueoniæ fuerat potitus.

Verum alter Snoronis seu Humblī filius Dan, hac Vitorum consequitur occasione gubernaculum: cum Jutor ipsos sub jugum quoque Saxonum mittere continuò niteretur, Humblī Suecorum Regis implorant, impetrantque auxilium; cum eoque Dan jussu parentis, contra Saxones profectus, de iis victoriam reportat, Jutiamq; recuperat.

Viti gratiam pro tanto relaturi beneficio, Danem sibi primum deligunt regem, à quo postmodum Viti, sunt Dani, & Vitia, Dania, seu Danemarchia, nuncupati: sed Angul in Jutia dominium adeptus, suum ipsi nomen indidit, Angulia in primis, & demum Anglia, vocata.

Anno CX. ante salutis humanæ primordia Cimbri jam ipsi Latij imminentes, obvios profligant Romanos aliquoties, bello ultra decennium protracto, & tandem XCVIII. ante Christum anno, Caius Marius urbis consul, CCCXL ipsorum millia gemino cæcidebat confictu, ac DCXC milia de prælio abduxit captiva.

Interea præstantissimus Vitorum Rex Dan, morte sublatus, Humelo sceptra filio transmisit; Quibus deinceps à fratre spoliatus Lothero, maluit regno potius, quam vitâ orbari.

In throno autem Suecorum, Gothorumq; Thoro successit, ut arbitror, URBARUS, & huic OSTENUS, cognomento Gylfus. Cæterum Norvegiæ consequitur gubernaculum Gotus, secundum Nori fratris obitum; Quod Getero moriens tradidit filio, parenti Sueonum Regis Osteni. Quamobrem temporis progressu inaudiens Ostenus, nefario Noricorum ausu patrem esse trucidatum, adeò excanduit, ut canem illis suum, nomine Suerting, pro rege obtruserit.

Anno Christum præcedente LXVI. quidam Sveonum Rex, cuius non produnt nomen scriptores, nonnullos Indiæ mercatores, per mare septentrionale in Scondiam delatos, Metello Celéri, Galliarum præsidi, velut amico singulare dono transmiserat.

Anno LX. Christum antecedente, famosissimus ille princeps, OTHINUS seu Vodenus armis Romanorum, de minori expulsus Asia, cum frequentissima hominum multitudine in Russiam migravit: Quam prospere subactam marte, Boo commendat filio regendam, & inde festinat in Saxoniam, hacque similiter subjugatâ, & filiorum nonnullis assignatâ, Saxonum & Venedarum (huc unâ ex Alpibus prosectorum Sarmaticis, Othinique beneficio, littora maris Baltici, nomen inde Venedicum obtinentis, longissime in Boream incolentium) auxilio Daniam impugnavit.

Loherus igitur Danorum Rex, ab Othino vehementer infestatus, & ope suorum propter nimiam destitutus tyrannidem, superatusque in Jutiam profugit. Cæteri porro Danorum, & præsertim Sialandi, victoribus se accommodantes, Balderum Othini filium, pro Rege acceptarunt. Is protinus in loco Bredebliche / sub Lethra propè Roschildiam sito, novum Diis sacrificandi morem instituit.

Sed Loherus, interim auxiliaribus ex Suecia, Norvegia & Jutia copiis, in hostem impetratis, cum eo animosè conreditur, & Balderum Regno atque vitâ simul exuit. Itaque Othinus mortem vindicaturus filii, & Daniam

recuperaturus, Vectam Saxonum, & Boum Russiæ, principes, filios suos in subsidium advocat, bellum instaurat; Lotherum, non Hotherum, trucidat, & victor Daniam, Sueciam & Norvegiam occupat ante Christum anno XXIV.

Hanc autem filio donat Hemingo, qui secundus Norvegiæ ita factus Monarcha, in Tronhem seu Tronvang, peregrino etiam cultu Diis cœpit litare: Verum Schioldo Lotheri filio Daniae aliquantis per Imperium permisit, fortassis quod Gefvionem sagam peritissimam, duxisset conjugem, cuius arte Othinus non mediocriter adjutus, tantam de Scondiis victoriam reportasset.

Cæterum ipsem Othinus, Sueciam velut aliis Scondiæ Regnis amœniorem, fertilioremque, sibi vendicat, in qua Sigtuniam condidit urbem, ad formam veteris Trojæ, in lacus Meleri littore; Ast Upsaliæ in paretusto sacrificiorum loco, novos litandi ritus instituit, XII archiflaminibus demandatos.

Decreto prætereà statuit perpetim valituro, ut imposterum Upsaliæ, supremus vigeret Numinum cultus, quovis novennio à Scondiæ incolis solenniter invifendus; & ibidem potissimus esset Regum thronus Scondicorum. Ideoque tantum honoris cæteri Scondiæ Reges, multo deinceps seculorum decursu, Regi exhibuerunt Upsalensi, ut in generalibus eorundem conventibus, dum ipse consenderet equum, hujus frenum Danus, & stapedem Norvegus, venerabundi appræhenderent: Cui suffragatur priscum M. Adami Chronicon, contestans Sueonum Reges, tantæ olim potentiae fuisse, ut alias Scondiæ gentes confringere viderentur.

Legem quoque condidit Othinus, de mortuis cum preciosiore, chario-re que comburendis thesauro, asseverans, ipsos superis eo fore acceptiores, quo plus divitiarum cum illis rogo injiceretur; mandansque Magnatum bustis, præcelsos terræ cumulos imponi; Ast reliquorum sepulchris grandia jubens apponi saxa, mortui Epitaphio inscripta. Magiæ insuper diabolicæ nefariis Scondios imbuit artibus, quibus Lappones & Finmarchii, etiam hodie sunt dediti, easdemque ipsem Othinus adeo callebat, ut simplici variis illudere præstigiis plebeculæ.

Etenim velut alter Proteus, in bruta se transformavit animantia; In diffisis abfuit locis, & mox adfuit; Exiguo vastum pelagus navigio pertransit, quod telæ instar convolvit; ventis & tempestatibus imperavit; Flamas verbo solum extinxit; duorum utebatur opera corvorum, seu potius dæmonum, in explorando exterorum statu principum; futurorum fuit præscius, & quæ visceribus terræ abscondita latebant haud ignoravit.

Quibus occæcati præstigiis & ludibriis Scondii, Othinum, velut Numen quoddam, venerabantur, & reges illorum, Othini simulachrum, auro pereleganter complexi, eidem pro munere obtulerunt; Quod vocale ab ipsomet redditum, loco Upsaliæ sublimi, ceu Oraculum, collocatur: Quod de rerum eventibus interrogatur, & profatur dæmonis adminiculo. Turpissimis autem, spurcissimisque fuit ille, sicut etiam uxori, mancipati libidinibus, quas propter pulsus, in decenne secessit exilium Othinus, indeque postliminio revertitus, Sigtoniæ animam efflavit sceleratam, ubi cum multo fuit exustus auro & argento.

Deinde mortuum invocantes, & victoriam aut pecuniam flagitantes, quod in forma dæmon apparet Othini, plerumque voti redderet illos compotes, Othinum Scondii pro bellorum & divitiarum numine, diu coluerunt, quartam hebdomadæ feriam, de ipso nuncupantes, ac potissimum Regum in Scondia, Germania, & Anglia progeniem ab eo derivantes, quod principes sibi per honorificum existimarunt.

Similiter Othini uxorem Fream, seu Fruam, vel Friggam, scortum famosum, ex qua magnatum conjuges vocabulum Frigæ sunt consecutæ,

variis quoq;tie honoribus Scöndii décorarunt, & illas in cœlo stellas, quæ Cingulum vocantur Orionis, colum, fusumque Friggæ appellarunt.

FREYERUS, quem nonnulli quoque historicorum veterum, Froe, Friconeim, & Frotone nominarunt, à morte Othini sceptrum adipiscitur Sueciæ, Gothiæ, Norvegiæ simulque Daniæ; Qui dictus cognomine Ingo, & progenies omnis Inglingar. Ast quoad officium, siquidem princeps & flamen extiterit Scondiæ supremus, Drotte fuit ille, successoresque, & horum uxores Drottningar nuncupati, ad Dageri usque tempora, qui primus Kœning, hoc est, propago Ingonis, Scondice voluit appellari. Hinc Prorex etiam nostro ævo, Drotfete, quasi Regis occupans sedem absens, & vicem sustinens, atque provinciarum Toparchæ, Landzdroþer/ nominantur.

Anno post orbis diluvium bis millesimo trecentesimo sexto, Freyero seu Frotone, velut Monarchâ in Scondia dominante, & pacatissima fertilissima que tempora habente, Christus JESUS æterni Dei filius in Betlehem Judæ, pro generis nostri salute humano vestiri schemate fuerat dignatus. Cui propterea cum Patre sanctoque sit Spiritu, laus, honor & gloria in omnem æternitatem. Amen.

Cæterum Froto hujus gratiæ cœlitus mortalibus concessæ omnino expers, & proinde cultum Satanæ magis Upsaliae propagaturus, illustratusque, fanum ibi totius Scondiæ unicum adeo magnifice construxit, ut intus, forisque auro radiaret copiosissimo, & insuper aureâ circumdarentur catenâ extrinsecus, templi fastigia. Quod, sicut & regiam juxta positam non paucis dotavit latifundiis, quæ nostro tempore peculium Upsalense, seu Coronæ Regalis, appellantur; simile dicto mandans, ut Reges in faxo prati Morensis propinquo concorditer designati, præfato deinceps fano inaugurarentur.

Quamvis porrò Freyerus, Sueoniæ primus contraxerit in Monarchiam, tamen progressu temporis inter varios fuit denuò Regulos distracta. Quandoquidem Uplandiaæ, Vefmanniæ, Sudermanniaæ, Vermelandiaæ, Darlecarliaæ, Nericiæ, Ostrogothiæ, Vestrogothiæ, Sudrogothiæ, Helsingiæ, Medelpadiæ, Angermanniæ, Bothniæ, Finlandiæ, Alandiæ, Gotlandiæ & Oelandiæ proprios deinceps fuisse regulos, Upsalensi vehit Monarchæ, subjectos, in Historiis passim deprehendatur.

Verum Froto seu Freyerus, tantâ subditos clementiâ, prudentiâ & justitiâ rexit populos, ut mortuum cremare scelus existimantes, integrum Diis adscripserint, quem sacrificiis postea honorarunt, & sextam hebdomadæ feriam, de ipso, non Frigga, nominarunt.

NIORDUS, quem alii Nordianum & Nearcum inscîte vocant, Archiflaminum unus Upsalensium sceptro deinceps Sueciæ potitur, sed HERVITUS legitimus Russiæ hæres, post obitum Boi, de morte quoq; factus certior Othini ac Freyeri, paternum recuperat thronum, injuriæque sibi & patriæ ab Othino irrogatas vindicaturus, bellum parat in Niordum formidabile. Adventantem vero hostem Niordus animosè suscipiens superatur, & in Daniam fugatur, Hervito Sueciam subjugante; Quam ipse cognomini tradidit filio regendam & defendendam, ac Russiam festinus repetit. Verum Niordi Sueones miserti, Hervitum necant, & principem revocant extorrem, sub eoq; postmodum gratissima viguit pax, & rerum floruit omnium ubertas. Quam insipiens regni plebecula Niordó stolidè acceptam referens, vivo aliquid inesse divinitatis credit, & mortuo divinos propterea honores tribuit. Niordus porrò vicinus morti, Othino vivus immolari voluit, Sueonesque voto ipsius annuentes, eum combusserunt, luxerunt & catalogo numinum inscripserunt.

Quāmobrem sequentibus DCCCCC. post Christi natalem annis, hos præcipue deos nostri coluerunt Upsaliæ, nempe Thorum, cuius simulachrum instar nudi pueri sculptum, coronâ, sceptro & XII in capitis circuitu fuit ornatum

tum stellis; ac supremo collocatum triclinii lectisternio, illudque invocabant pro aëris impetranda clementia, & feriâ quintâ de ipso nominata, eundem sacrificiis placabant.

Alterum fuit sculptile Othini, à dexteris Thori positum, loricâ galeâque indutum, quod belli propter successus coluerunt, & monoculum finxerunt, tonitruique effectum tribuerunt, hujusmodi aëris fragorem, *Asteslag* nuncupantes: Quippe Othinum synecdochòs As vocarunt antiqui, quia ex Asia in Scondiam accessisset, & Asgard infernum nominarunt, quem Othini domicilium esse crediderunt.

Tertium verò idolum fuit Freyeri statua, quæ sinistrum Thori clauerat latus, quam pacis, voluptatisque amantes, & nuptiis inhiantes venerabantur: Ac proinde viva ipsi semper astabat fœmina, concubinæ vicem obitura, si Deo placeret, qui grandem præferebat Priapum; Hujusque numinis turpissimi non Scondios & Britannos solum, ast etiam Germanos fuisse cultores, hinc non obscure colligitur, quod hi nobiscum ab ipso diem Veneris nuncupent.

Ex his denique tribus statuis, dæmon identidem responsa dabat sciscitantibus; prout etiam ex simulachris Olleri, Vagnosti, Hadingi, Rolleri & Rostrophi, quorum infatuati præstigiis infelices Scondii, ipsos esse Deos arbitrabantur, & alibi quam Upsaliæ, venerabantur.

Nam Ollerus quidem ab Othino pulsus Upsaliâ, in Daniam concessit, ubi, velut novo quodam orbe, opinionis suæ monumenta restaurare connisus, à Danis perimitur: Quanquam adeo præstigarum usu excelleret, ut ad tracienda maria, osse, quod diris obsignasset carminibus, navigii loco uteatur; nec eò segnius, quam navigio, projecta undarum superaret obstacula. Præfato insuper choro numinum, quidam Ugartilocus dæmon, & Thoræld / hoc est fulgur seu ignis Thori, scortum fortassis impudentissimum Thoronis, acceſſerunt.

Verum de his Satanæ portentis, monstris, & larvis stygiis sat dictum; sacrificia nunc paucis describemus, in quibus effeminatos corporum motus, scenicos mimorum plausus, & mollia nolarum crepitacula, honestiores oculi, auresque meritò aversabantur. Atque ut paulo altius hanc exordiar materiam, à temploque, in quo litabatur, incipiam, pro hujus foribus stabat arbor, generis ignoti, patulis diffusa ramis, hyeme ac æstate pariter virens. Ipsi autem delubro fuit adjunctum, instar facelli vel adyti, fanum, locus sacratissimus, in quo idola memorata, & Dii manufacti consistebant, in suppeditaneo vel lectisternio collocati. Ante statuas porrò surgebat ara ferro supernè investita, nè igni, qui perennis in ea vigere debuit, læderetur, & huic lebes impositus cernebatur, unaque aspergillum, quibus hostiarum sanguis excipiebatur, & astantibus aspergebatur: Sed coram altari, & in circuitu statuarum, victimæ actutum immolanda disponebantur.

Cæterum præter quotidiana illic sacrificia, quovis mense Diis solennius fuit litatum, & à distinctis sacerdotibus, discretæ idolis victimæ immolatae: Verum solennissime quovis novennio ea peragebantur sacra ab universis Sueciæ, Gothiæque incolis novendialia, singulisque diebus octo mascula immolabantur animalia, & nonum fuit vir quispiam forte delectus. Is primum in fonte mergebatur, & si animam non difficulter efflaret, faustum renunciabant sacrificuli votum, moxque inde protractum, in propinquo, quem sacrum crediderunt, luco suspendentes, inter Deos translatum affirmabant: Sin verò non ita moreretur, ipsum vel securi feriebant, vel ad saxum crudeliter allisum, cerebro disperso, maectabant; aut inter vepres & sentes miserabiliter raptatum atque cruciatum, conficiebant, sanguineque Diis oblato, & capite duntaxat quarumlibet hostiarum cremato, reliquum corpus

in præfato suspendebant nemore, cum reliquis octo cadaveribus. His tamen exceptis quæ flaminum, principum & procerum populiq; confluentis religiose vel potius superstitione, idolothytis vescentium cedeant commefationibus.

Atque de idololatria Scondiorum hæc modò pauca memorasse contentus, ad politicam me confero historiam. Illud verò mihi hanc telam contexturo perincommode accidit, quod regibus per annos à Natali Salvatoris octingentos in Scondia passim dominantibus, nusquam inveniatur certus temporum calculus, chronographo necessarius, esse adnotatus; atque ne simul Lector hujusmodi studiosus antiquitatis ipsâ Regum Historiâ defraudetur, illam tribus succinctè velut libris compræhendam sequentibus, & postea intermissos repetam calculos rerum aliarum, quæ interea temporis acciderunt, ac per eosdem DCCC. annos fideliter deducam.

Porrò Historiam ita prosequar, ut plurimis Scondiæ regulis prætermissis, & monarcharum non paucis de quorundam arbitrio, suæ gratificari vel potius adulari volentium nationi, fraudulenter confictis, ex syncreto principum, seu Drotterorum catalogo expunctis, primariorum duntat Regum gesta complectar: primo quidem libro Upsalenses in Svecia Gothiaque, altero Letrenses in Dania, & tertio Trunvangenses, seu Trunhemenses in Norvegia, supremos describendo Tyrannos.

R E G E S

In Sveonia Gothiaque Upsalenses.

SIGTRUGUS Freyeri vel Niordi, ut reor, filius, XI. Sveciæ dominator & Legislator fuerat: siquidem hoc seculo & prioribus, aliquotque posterioribus, Scondii consuetudinem æmulati Judæorum, sub suis vixerint principibus, velut sub judicibus, *drottar* ideo nuncupatis. Hinc nostro etiam ævo, *Drotter*/ hoc est prejudices seu proreges, vocamus Legislatores vel Nomophylaces, qui nominis sui vocabulo officioque responsuri, & vicem sustinent absentis principis, & potissimum in Scondia provinciis jura dicunt, ab ipsis olim condita Regibus. Itaque Sigtrugus à morte Niordi regale ac legale naëtus est Sveciæ dominium; cuius filiam nomine Gro, insigni formæ præstantia viraginem, Gramus perillustris Danorum princeps conjugem expetebat. Atque Sigtrugus Danicam habens suspectam affinitatem, Humblo, procorum alteri, Regis Finlandici germano fratri, filiam lubentius destinaverat. Nec tamen Gramus à proposito destitit, ut pote qui primum nunciis occultis, literis exoticis, & muneribus virginem in sui pertraxerat amorem: Deinde sua ipsam præsentia sibi magis devincturus, in Sveciam, habitu mutato, festinat incognitus; ibi autem optatissimum virginis adeptus colloquium, connubio denique isti consentientem, hilaris secum inde perduxit in Daniam. Ex qua binos postmodum suscepit liberos, Guttormum filium, & filiam, Subdagero deinceps nuptam Regi Noricorum.

Verum Sigtrugus vehementer raptu filiæ offensus, arma protinus in generum parat violentum. Prius tamen de belli successu oraculum sciscitatus Upsalense, responsum tulit inde perplexum, videlicet, quod si ab auro in illa sibi caveret pugna, cætera nihil metalla detrimenti forent allatura. Quapropter cum aureorum nullus esset armorum usus in præliis, hinc se insuperabilem fore existimavit, animosiusque in hostem properavit. Ast Gramus eorum primarius, haud nisi dolo simul adhibito, se vietorem fore considerans, pugnacissimos Sueonum quosque athletas, auro libera-

liberaliter donatos, sibi clanculum devincivit; Quorum propterea Sigtrugus ope in conflictu destitutus, superatur, & hujusmodi necatur auro, non clavæ infuso ligneæ, prout Saxo noster pro more suo fabulatur, nolens Gramo illam fraudis aspergere labeculam.

XII. SUARINUS, quem in Gothia rerum potiuntem, Sueones post Sigtrugi cædem, potius Dominum maluerunt quam Gramum. Hunc proinde Suarinus Regno Sueciæ expulsurus, immensum ex utraque contrahit exercitum natione, & Gramus se tantæ imparem potentiae animadvertis, ad novos convertitur dolos. Etenim haud ignorans Svarinum proiectæ admodum ætatis esse, ipsum provocat ad duellum, ita de imperio Sueonum, cum illo belligeraturus. Ac licet utriusque minimè par esset conditio, tamen cum illa tempestate hujusmodi recusare prælium, nimio verteretur probro, Suarinus cum certissimo vitæ periculo assentitur monomachiæ, in hac vero senex decrepitus à juvēne valido non difficulter fuit prostratus, illiusque mortem filii & agnati, viribus similiter antagonistæ impares mox vindicaturi, cum eo in arenam singuli descenderunt, quorum XVI. trucidatis, victoriam Gramus Sueciamq; sibi vendicavit.

XIII. GRAMUS qui Suecia & Gothia potitus, diuturnum in iis sibi dominium persuasit, quod domesticam regum penitus extirpasset familiam; Ideoque crudelius Suecis & Gothis imperans, illos ad novam commovit rebellionem.

XIV. SUIBDAGERUS, hic siquidem Norvegiæ Dominus, quod Sigtrugi & Suarini esset cognatus, à Suecis Gothisque jugum pertæsis Danicum, Protector & Rector designatus, grandes ex Norvegia, Suecia & Gothia cohortes sibi comparavit. Iis porro raptam ex Sueonia consanguineam, & cædem cognatorum, tyrannidemque Grami suis irrogatam, Suibdagerus vindicare cupiens, Daniam invadit, ubi captam Grami sororem, stupro contemeravit; sed filiam illius, ob miram corporis pulchritudinem, suo dignissimam thalamo judicans, intemeratam ad Norvegos inde ablegavit. Interea Gramus exercitu collecto, grassantem in patria hostem aggreditur, à quo profligatus occubuit. Subdagerus autem viator & ulti contumeliæ, Suecis Gothisque quondam illatæ, clarissimus, expugnatam occupat Daniam, quam cum Suecia, Gothia & Norvegia, non paucum gubernat tempore. Interim vero Hadingus Grami filius patria extorris, subfidium in exteris nauctus regionibus, Suibdagero sub Gothlandia congregatur, & vitam, Daniamque illi eripit.

XV. ASMUNDUS, qui Sueciæ, Gothiæ & Norvegiæ actutum potitus est sceptris, ut parentis, avique cædem ulcisceretur, partaque tueretur regna, Hadingum impugnavit. Hadingus autem suo marte ac potissimum arte fretus magicâ, cuius fuerat ab infantia propemodum studiosus, & illius beneficio bellicosus, viatoriosusque censebatur, hosti ideo animosius occurrit: A quo trucidatum sub pugnæ initiis Ericum filium inaudiens, Asmundus, tanto mœrore ob dilectissimi obitum filii, furoreque corripitur, ut clypeo in tergum rejecto, omnique neglecto discrimine, quod ab adversariis, diabolicâ etiam subnixis potentia imminebat, obvios hostium quoque gladio sternaret, ad ipsum festinans Hadingum. Hic porro lethale sibi telum intentari conspiciens, & suis diffidens viribus, familiaris opem dæmonis implorat, illaque protinus adjutus, amentata prostravit adversarium hastâ, non tamen impune; Siquidem corruens in terram Asmundus, vulneratum interfectoris pedem claudicatione perpetua mulctaverit: Fidissima vero conjux, Gunilda, doloris impatientiâ furens, ingratam sibi diutius vitam ferro proprio eripuit, & charissimum prope maritum Upaliæ tumulum lubens obtinuit.

XVI. UFFO; is parenti subrogatus mortuo in thronis regnorum, Hadingum victorem in Sueonia grassantem, & stygiis plus artibus, quam humanis præliantem viribus, formidavit aggredi. Ut tamen ipsum à Sueciæ, Gothiæque avocaret depopulatione, traducto per oceanum exercitu, Daniam vicissim prædatur: patriæque latus auxilium Hadingus, domum quantocyū remeat, quod ipsum Uffo sibi faciendum censuit. Isto autem do-lo Hadingus magis offensus, ineunte vere Sueciam repetit, quem Uffo non imparatus excipit, atque nunc haud minus, quam adversarius, dæmonum armatus subsidiis (ut erant veteres Sondii maleficiis admodum dedi-ti) ad tantas hostem compulit angustias, ut diu illi sine præsentissimo vitæ periculo, nec liceret pugnare, nec locum permutare, nec domum remeare, aut necessariam vitæ sustentationem comparare. Quamobrem ad tam grandem sunt inediā Dani perduicti, ut alter alterum mactare ac devora-re cogeretur, tandemque cum ingenti suorum clade per obsidentium ca-stra hostium penetrare. Ita Hadingus cum exercitu superstite in Helsingiam, borealem Sueoniæ provinciam, dilapsus, indè per multa vitæ discri-mina, viaque ambages, patriam difficulter adiverat.

Summoperè verò indolens Uffo, tantam ex retibus suis feram eva-sisse, promulgato quaqua versum edicto, vitâ Hadingum spolianti, venu-stissimam pollicetur filiam. Tanto itaque promisso illustris quidam illectus heros, Thuningus, vitæ gnaviter Tyranni insidiatur. Quem propterea Hadingus, auxiliaribus Biarmensium cohortibus stipatum, aggressus, con-fuetâ dæmonis ope peremit. Deinde aperto marte, vel hujusmodi artes se Uffonem haud necare posse animadvertis, ad alias confugit insidias; Si-mulat amicitiam, & securum postulat accessum Upsaliam, prætendens se voti cuiusdam reum, illic Freyero Deo persolvendi, ast Uffoni cædem ad-ferre intendens. Nec Suecus fraudis ignarus fuit, petitis tamen annuit, ut dolum pelleret dolo, velut clavum clavo, & laqueum sibi paratum Ha-dingo injiceret. Proinde illum Upsaliæ comparentem, post factam Numinum propitiationem, ferali excipit convivio, in quo Hadingus insidias sibi pa-ratas comperiens, comitibus per illas amissis, se clanculum subducit, per-que invia nemorum redit in Daniam. Et hinc quidem Uffoni factus ma-gis infestus, non multo post tempore in Sueciam regreditur, illumque nul-las timentem insidias obtruncat, & splendidissimo Upsaliæ commendat tu-mulo, ut Sueonum animos sibi conciliaret, & ad spondendam servandam-que sibi obœdientiam illos permoveret.

XVII. HUNDINGUS, quem Sueones Gothique nequicquam ab Hadingo inescati, velut fratrem Uffonis, regnorumque hæredem, regiis or-narunt insignibus. Itaque Hadingus sua fruistratus spe, & cladium recorda-tus, quas Sueciam impugnando fuisset hactenus perpepsiis, maluit amici-tiam Hundingi, quam illius experiri amplius militiam. Nec eam Suecus aver-satus, oblatam acceptat, tantaque fide conservat, ut nulla unquam hominum inquietorum sua fatione ad ipsam potuerit impelli violandam. Cum vero concordia hujusmodi plus quam fraterna inter hos Sondiæ Reges potentissimos, subjectosque ipsis populos, diu floruisset, falso Hundin-gus intelligit rumore, vita magis dilectum sibi Hadingum, leviri occubuisse insidiis. Quocirca nec ipse diutius vitæ usurâ frui cupiens, optimates re-gni ad funebre convocat epulum, inferiis tanti amici solenniter impen-dendum. In quo ipsemēt pocillatoris officio functus, ut majorem demor-tuo exhiberet amorem & honorem, quando convivas admodum ebrios evasisse animadvertis, in labrum melicrato plenum se præcipitat, ac subitò expirat. Quo Hundingus inusitato mortis genere testari voluit, tam ju-cundum pro amico illum sibi morienti fuisse obitum, quam suavis esset hu-jusmodi

jusmodi potus bibenti. Hadingus autem tantum Hundingi cognitum erga se amorem suminopere admiratus est, ut non minus amicitiae documentum ad posteros transmitteret, inspectante vulgo se laqueo consumperat.

XVIII. REGNERUS, qui tamen haud protinus à morte parentis Sueciæ consequitur gubernaculum; Quandoquidem noverca illud sibi arrogans, ut Regnero perditο, diutius & securius eo potiretur, privignum throni hæredem ad extremas regni soliditudes, ibi regia observaturum armamenta & feris esca futurum, ablegavit. Illuistris porro filia Hadingi amicitiae recordata, utriusque inter parentes quondam florentis, & principis ideo miserata proscripti, hunc in deserto vagantem, suaque infortunia lamentantem, per immensas itinerum difficultates accessit. Cujus ille comitatu & apparatu primum territus, novercæ formidavit insidias; Verum secus colloquio virginis se consolantis, animantis, subsidia promittentis, & amplissima largientis, informatus, formidinem exuit; audaciam, regiumque induit ornatum, & virgini huic Suanhuitæ promissâ ob tantum beneficium connubii fide, regnum sedulus oberrat; novercam sceleris accusat, & auxilium à paternis flagitat amicis; Quo potitus, adversarios expugnat; novercam suppicio capit is mulctat, & regno Sueciæ Gothiæque subjugato, Suanhuitam dicit conjugem, quæ Hotebrotum ipsi postea genuit filium.

Contigit interim, ut Froto Danorum moderator, & Suanhuitæ frater, quadam seductus arrogantiâ, Regnero bellum inferret sororio: Qui cum domo abesset, Suanhuita fratri occrens animosa, eum prælio distentum navali captivat, & paucō post tempore libertate donat; Cujus immemor Froto beneficii, denuo Sueciam longe vehementius impugnat, & ingratitudinis luiturus pœnas, in ipso succumbit occubitque confictu. Sed Regnerus & Suanhuita multo deinceps tempore supervixerunt, cumque eximio nominis encomio regnum gubernarunt, ac demum Regnerus fatis prius ablatus, tantum Suanhuitæ inflxit mœrorem, ut inde mortem protinus illa oppeteret, ad latus, procul dubio, mariti Upsaliæ tumulata.

XIX. HALWARDUS, ut reor, cognomento Hotebrotus, Regneri filius, & in regio successor throno, considerans quantas Froto avunculus clades patri nuper, patriæque, auxilio nixus populorum Orientalium intulisset, hos in primis, deinde armis Danos decrevit mulctare. Quamobrem in Orientales boreæ regiones grandi cum exercitu profectus, Finnos, Sembos, Estones, Curones & Russos sub Sueoniæ dominium traduxerat: Inde autem viator in patriam regressus, Gyritam illustrissimo regum Noricorum sanguine procreatam, sibi junxit matrimonio, quæ Attilum & Hotherum filios, illi fuerat enixa, gloriissimos in solio Sueonum successores. His ibi peractis, victoriosa in Danos protulit ille vexilla; quando Roë Frotonis ex Haldano nepos non segnis hosti occurrit, à quo bis profligatus, tertio eundem aggreditur, & ab eo occiditur. Daniam ita subactam viator quibusdam Sueonum commendat Hotebrotus defendendam & regendam, inque Sueciam cum insigni remeat triumpho: Sed Helgo germanus Roë frater, cognito Hotebroti reditu, ejus invadit officiales & trucidat, Daniamque occupat; Quam propterea Halvardus ad obœdientiam revocaturus, cum immensa illam versus classe festinat, ipsique congressus Helgo, vita & Regno illum spoliavit.

XX. HELGO, utriusque regni adeptus dominium, Sueonibus, quod crebris Daniam cladibus afflixissent, crudelissimum se principem exhibuit; siquidem non contentus illos sub intolerabilem redigisse servitutem, inhumanissima insuper lege fancivit, ne injuria, vulnus aut cædes Sueonum alicui irrogata, ex justo legum præscripto plecterentur, sed modo longe inferiori pensarentur Sueorum æstimationem, collatione Danorum tanto-

pere

pere elevans, & amplissimam utriusque nationi materiem belligerandi subministrans. Interea primogenitus Hotebroti filius Attislus, cum Hothero fratre in Norvegia apud nutritum exulans Regem Gevarum, ipsi a parente olim commendatus, adoleverat, qui affinitatis beneficio paternum recuperatus thronum, Ursilam Helgonis filiam suo postulat matrimonio, quam obtinet, & cum ea regnum Sueciæ annuo sub tributo.

XXI. ATISLUS, homo avarissimus, tenacissimusq; sui tempore regiminis immensos cumulavit thesauros, quos conjux Ursila filio procuratura Rolphoni, ex Helgone priori marito & parente quondam suscepit, ac nunc post abitum obitumque genitoris in Dania rerum potiunti, callide Atislo, eum in Sueciam sub munera promissione insignium persuasit invitandum, hicque ubi comparuisset, ad restituendam Suecis pristinam libertatem, cogendum vel occidendum: Consensu autem mariti obtento, humanissimisque ad filium litteris, per aliam illa epistolam suum Rolphoni manifestat consilium, hortans ut quantocvus advolet, & thesauros vitri ci fraudulenter in Daniam transportet, nihil discriminis perpessurus. Nec Rolpho, voluntate matris intellecta, moratus, sed opum spe lactatus in Sueciam festinat; Ubi triduano susceptus per Atisolum convivio, ipsum variis intus distinebat sermonibus, dum interea temporis Ursila foris divitias mariti ad classem procuraret deportandas. **Quo** demum negotio, quam occultissime peracto, cum matre, Sueticisque navigat opibus Daniam versus; quem frustra inse- cutus Atislus, & bello propterea deinceps persecutus est, cum Rolpho nihilo minus thesaurum, Sueciæque dominium retinuerit.

XXII. HOTHERUS Atisli frater, imperium Sueciæ, Daniæque regibus destitutum, non difficulter obtinuit; Nec immerito, cum parente genitus esset Hotebro, eorundem quondam regnorum Domino, iisque animi & corporis esset abunde praeditus dotibus, quæ regali competenter dignitati; Artium quoque multarum fuit peritissimus; & potissimum Organicæ in tantum Musicæ sciens, ut audientium mentes hominum variis modulationum generibus ad quoscunque volebat, impelleret affectus, gaudium, mœstiam, miserationem vel indignationem. Hunc itaque principem tantis ornatum dotibus, secumque una educatum, Nanna Gevari filia regis elegantissima ab ipsa expetivit pueritia maritum, illique fidem matrimonii promisit; verum Hacho quidam Daniæ Rex, virginis etiam amore captus, illam Hothero satagebat præripere, nec ulla tamen valens amoris arte, rivalem marte aggreditur. In isto autem conflictu Hotherus victoria potitus, Daniaque, Nannam sibi copulatam cum triumpho in Sueciam perduxerat; Hinc corrivalis Hacho vehementer efferatus, contractis undequaque auxiliis, Daniam in absentia Hotheri recuperat, nec minus regni hujus amissione Suecus exasperatus, cum navalibus in Daniam copiis properavit, ubi profligatus, apud Jutos refugium captavit, indeque, transacta ibi hyeme, in patriam acceleravit. **Quamobrem** domi longe majori comparato exercitu, hostes denuo invadit, quando pugnam die toto acriter utrinque continuatam, nox diremit. Cujus beneficio Hotherus, mutato habitu, castra hostium ingressus, molitiones ipsorum cognoscit; **Quos** ideo post lucis exordium, felicius multo aggressus est, Hachonem jugulat, Danosque ad pristinam revocat obedientiam, & in Sueciam remeat. Itaque Fridlevus gener Rolphonis ex Hotheri absentia naectus occasionem, Daniam occupat, quam, reverso protinus Sueco, vitamque simul amiserat. Deinde tranquillum habuit diu regimen Hotherus, donec beneficiarii orientalium populorum Reguli moverent ipsi rebellionem; In quos propterea Hotherus bellum moliens, illoque se occubiturum ex propria sciens præscientia, Suecorum, Danorumque consensu filium utriusque Regno

præficit Roricum, & rebelles libentius atq; confidentius impugnat. A quibus demum prostratus moritur, non tamen impune: Quandoquidem primarii adversariorum simul ceciderint.

XXIII. RORICUS, qui cognito parentis interitu, ipsum vindicaturus, & Russos, Finnos, Estonesque perdomiturus, cum lectissimo Suecorum & Danorum exercitu iterum conscripto, rebellibus ob victoriam nimis triumphantibus congreditur: Quibus ad pristinam vocatis subjectionem, Slavos seu Vandalos jugum similiter excutere conantes, oppugnat ac expugnat. Deinde cum eximio domum reversus triumpho, comperit Gervendillum Jutiæ Præsidem, interea fatis sublatum, eique substituit Horvendillum: Qui cum Regio esset Danorum sanguine procreatus, & ob triennalem oppidō celebratus piraticam, ipsi filiam dedit Gerutam, & Daniæ regnum sub tributo solo Suecorum, Gothorumque imperio victurus imposterum contentus. Inde vero consequitur Amlerum ex Geruta nepotem, & Feugantæ fratribus invidens fortunæ, ipsum jugulavit, ac thronum Daniæ cum Geruta occupavit. Amlerus sibi quoque infidias à patruo structas animadvertis, illas, quandam simulans insaniam, prudenter evasit, matrimonioque in Britannia illustrissimo adjutus, vitricum & patruum aggreditur Feugonem, ac ipso per fraudem exusto, pro rege Danorum primario se venditat: sed illo Roricus tempore mortem oppetens, filio monarchiam Daniæ Vicleto transmisit: Qui propterea æmulo congressus est, illum vita, regno, & uxore Hermutruda privavit, hancque sibi protinus copulavit, ex qua Veremundum, Daniæ postea Regem designatum, consecutus est filium.

XXIV. ATISLUS II. Sueciam alterum paterni dominii regnum adeptus, totum se bellicis mancipavit artibus, & quibuslibet herœs decentibus exercitiis; Quibus probe imbutus, finitimas Sueciæ nationes feliciter impugnando, suæ posuit militiæ tirocinium. Interea verò in Dania mortuo fratre Vicleto, Veremundus succedit filius, qui nurum sibi delegit Frovini, Jutis australibus pro tempore dominantis filiam, & Oceanum piratica infestantis. Quamobrem Atislus, Sueonum Princeps clarissimus, nonnulla fortassis detimenta inde simul passus, Frovino graviter succenset affini, & admonitum frustra intermittendæ hujusmodi excursionis, denique navalı illuc exercitu traducto, contumacem adoritur. Nec imparatum deprehendens Frovimum, in primis generali & postea speciali oppugnat ipsum certamine, istoque factus superior, antagonistam prosternit, ac Jutiam Sueoniæ imposterum fore subiectam, decernit. Sed Veremundus intellecto patrui reditu, Retoni & Vigoni filiis, Frovini ducatum contulit Slesvicensem, indeq; plurimum Atislus exacerbatus, novos Jutiæ vasallos impugnavit. Qui amplissimas nauci ex Dania suppetias, Suecis prævaluerunt. Subverens porro Veremundus patrui cum grandiori potentia redditum, neci eum destinat, Retone & Vigone sicariis in Sueciam expeditis. Hi autem aggressi Regem in quodam nemore animi causa, sine ullo deambulanten comite, trucidarunt, ita paternam vindicantes cædem, & Veremundum formidine liberantes. A quo propterea non solum in possessione confirmati ducatus, sed aliis insuper bonis amplissimis, donisque fuerunt ornati.

XXV. HOGMOTUS, qui cum aliquandiu rerum in Sueonia potitus esset, unaque Hogrinus, quandam Hugleto Danorum Regi, Veremundi ex Uffone filio nepoti moverunt controversiam, cum illoque pugnâ congressi maritimâ, interierunt. Horum tempore principum famosus & bellicosus ille Helsingis Sueciæ populis dominabatur, Thore, ob insignem cognominatus proceritatem, Longus, cuius statuæ non ita pridem Suecis atque Gothis, & præsertim Scheningensibus non minus fuerant venerationi, admirationique, quam Germanis est hodie Colosseum S. Christophe-ri si-

ri simulachrum: sed totius fuit Gothiæ Rex quidam Gestiblindus; Egterus Biarmiæ, & Thengillus Finnarchiæ, dominium tenuerunt.

XXVI. ALARICUS filium habuit Gautonem, Vermelandiæ in Gothia, & Solœgiæ in Norvegia Regem. Ab his vero primarius Gothiæ moderator Gestiblindus, seu Gestillus, regni dominium forsitan affectantibus, frequenter & modò vehementer impugnatus, Frotonis Dani subsidium imploravit; Illeque vicino compassus, Godescalcum Sconis stipatum, ac Ericum Norvegis armatum, Gestillo miserat commilitones; Qui primo Gautonem in Vermelandia oppresserunt, & posteà suas Gothicò adjunxerunt exercitui cohortes. Nec Alaricus horum accessu tantopere conturbatus, quantopere filii ex vita decestu fuerat tristatus; Nihilominus tamen animo resumpto, cum Sueonibus sibi fidelissimis contendit in hostem; sed ante conflictum, Erico defectionem à Gestillo frustrè conatur persuadere. Ideoque hanc passus repulsam, ad privatam provocat Gestillum concertationem, quam neque volens Ericus admittere, quod Gestillus senio, morboque foret gravatus, se offert ipsius loco pugnaturum. Neque istud Alaricus detrectans duellum, Erico audacter congreditur, & vulnerato graviter antagonistæ, gravius multo vulnus consequitur, indeque protinus in circo monomachiæ demoritur.

XXVII. ERICUS III. illustribus in Norvegia genitus parentibus, Frotonis promotione orbum Sueciæ thronum imprimis adipiscitur; Deinde sceptrum quoque Gothicum, Gestillo vita functo, nanciscitur, tantumque honoris contigit Erico, propter insignes animi & corporis dotest, regio dignissimas fastigio. Etenim tantæ fuerat sapientiæ, ut sapientis cognomento docoraretur, & tantæ prudentiæ, experientiæ ac eloquentiæ, ut neminem totâ haberet Scondiâ sibi parem: Itaque Froto Danorum Rex prudentissimâ illius operâ, ex principe ignavissimo evasit gloriofissimus; Si quidem Erici fretus consilio, foris belligerat felicissime, & domi regnat quietissimè prudentissimeque; Quibus Danus obsequiis merito commotus, suam despondit Erico sororem, & cum centuriatu regni amplissimo, proximum à semetipso contulit in Dania honorem. Nec istâ contentus benevolentiâ in Ericum collatâ, ad Sueciæ, Gothiæque solium, velut præfatus sum, eundem sublimavit: Et fratrem hujus Rollerum Norvegiæ sceptro, propter eximiam sibi quoque operam diu navatam, donavit.

Rollerus autem postea Noricorum armis rebellantium impetus, Suecorum & Danorum implorat auxilium: Quo propterea Frotho cum immensa delatus classe, ab incolis suis profligatus, nisi Ericus cum terribus ex Suecia agminibus quantocytus adveniens, hostem fugasset, fratriq; subjugasset. Cæterum hoc floruit tempore in Sueonia pugil quidam fortissimus, nobilissimusque nomine Arngrimus, qui navigio spoliatus à Scalco Sconiæ Dynasta, ipsum idcirco monomachiâ superatum trucidavit; Quâ elatus victoriâ, conjugem postulat Osuram Frotonis filiam, & non impetrat, donec Egterum Biarmiæ, atque Thengillum Finnarchiæ regulos, debellasset, illorumque provincias Suecis & Danis subdidisset; ita virgine potitus, XII ex illa filios suscepit: Verum Erico pepererat Gunuara Haldanum, quem ille natus in utroque successorem throno, vitam clauferat gloriosam.

XXVIII. HALDANUS, in acerrimum cum Norvegis bellum incidit. Illi siquidem post Rolleri obitum, intelligentes etiam Frothonem Daniæ, ac Ericum Sueciæ Reges potentissimos, fatis occubuisse, nec ullum amplius adversarium timentes, illatas ab Erico saepius Novegiæ clades vindicare statuerunt. Itaque Haldanum ipsius filium crebrô armis impetunt, quibus post frequentes bellorum conflictus, nimium Haldanus enervatus,

opem

opem flagitat Ruthenorum, & patrocinio Fridlevi, Frotone Dano geniti, haud eam difficulter impetrat: Is etenim Russi militiam diu secutus, in aula ipsius multo floruit honore, quod heros esset bellacissimus, ac regio Hunnorum seu Ruthenorum sanguine oriundus; Qui proinde cum amitini cognovisset Haldani necessitatem, & suo parenti mortuo Hiarnonem, regio indignum solio, subrogatum, à rege obtinuit consanguineo copias facile auxiliares, quibus Norvegos esset profligaturus, & Daniam occupaturus.

Quamobrem Russi cohortes in Nörvegiam inde perductas, Suetico adiungit exercitui, moxque hostibus congressus, insignem reportat victoriam: Nec audentes prælio amplius publico Norvegi dimicare, munitissimam in colliminio regnorum occupant arcem, indeq; frequenter erumpentes, gravissima hostico inferunt detimenta. Verum Fridlevus non sine præsentissimis vitae discriminibus, illo potitus caströ, hostem ibi latitantem prostravit, & Haldano quietum Sueciæ regimen conciliavit. Suecus igitur gratiam Fridlevo repensurus, strenuum tulit ipsi auxilium, Daniam postea impugnanti, & thronum, cæso Hiarnone, paternum occupanti. Deinde cum Fridlevus, Amundi Norvegiam gubernantis filiam sibi conjugem postularerit, Frogertam, & passus repulsam, bellum in Norvegos pararet, Haldani etiam subfido, victoria & virgine, trucidato Amundo, potitus est. Tantoque viciissim amico Fridlevus gratificaturus, ei adhuc cælebi, speciosam Hithini Regis filiam procuravit uxorem, & fœdus cum amitino inviolabile firmavit; Quod osores quidam Haldani, minime formidantes, ipsum nihilominus infidiis petitum, occiderunt.

XXIX. SIVARDUS, quod Haldani esset filius, sceptrum Sueciæ impetrare nequivit, obſtentibus illi parentis interfeitoribus, & timentibus ne mortem, regno potitus, ulsciceretur paternam, donec fortissimus, prudentissimusque athleta Starcaterus, sua interposita authōritate, Sueonibus Sivardi persuasisset electionem. Fuerat porro Starcaterus, natione Helsingus, mira præditus corporis proceritate; ventris frugalitate; sermonis eloquentia; membrorum potentia, rerum prudentia, & admirabilium in Suecia, Dania, Norvegia, Germania, Russia, Britanniaque facinorum diu exhibitorum, excellentiâ celeberrimus, quemadmodum Scondiana luculenter historia testatur; Ad quam proinde Lectorem illa sciendi cupidum remitto, atque denuò Sivardum accedo: Qui quidem præfati ope Starcateri gubernaculum Sueoniæ fuerat adeptus, non Gothiæ, cum id hujus proceres, Sueicæ pertæsi servitutis, Carolo de veteri Regum profapiâ Gothicorum oriundo, commendarint; Isque propterea subsidium contra Sueonum molitiones affinitate quæsiturus, filiam Signe Haraldo Regis Danici filio amanter poscenti, conjugem indulxit. Hinc suis etiam metuens rebus Sivardus, ut inde similiter opem nanciceretur, Frotone Danici Regis Olavi filio, filiam despondit Ulvildam. Quas inter fœminas illustres contentio in primis suborta, de parentum jure in Sueciæ, Gothiæque regna, maritis illarum deinde largam præbuit rixandi occasionem. Nam Frotone Caroli propugnantem jus Haraldum, & propterea bellicis sibi triumphis prævalentem, regnoq; Daniae potiunt, primo verbis adortus, ipsum deinde verberibus opprimit & perimit: Minorenus vero Haraldi proles, Haldanus & Haraldus, patrui insidiis subdueti, loco seculo adoleverunt, actum paternam vindicaturi cædem, auxilio amicorum igne Frotone consumperunt; Ulvildam faxis obrutam interfecerunt, & milite demum traducto in Sueciæ, parentem illius Sivardum, bello superatum cæciderunt.

XXX. ERICUS, Sivardi ex filia nepos Ulvilda, post infelicem avi materni, prole mascula non relicta, expirantis interitum, regia Sueciæ insignia

signia capessit; sed Haldanus patruelis, non contentus Ericum avo & parentibus orbasse, ipsum etiam vita, & Sueciæ, Daniæque regnis spoliare machinatur. Quare occupatum patriæ dominium fratri commendat Haraldo, & ipse met in Gothiam mætris profectus natale solum, frequentiorem congregat exercitum. Isto autem Sueciæ Regem aggressus Ericum, in fugam compellitur, & postquam sua, suorumque vulnera commilitonum in Helsingiæ latebris curasset, sanassetque, viris & viribus reparatis, victorem invadit denuò Suecum; A quo secundum profligatus, ad celcissima profugit montium fastigia. Atque ut Ericus ipsum inde, totoque ex Sueciæ regnō eliceret, Daniam infestavit; Ubi Haraldo congressus, tribus eum præliis superavit, Haldanusque à fratre in subsidium vocatus, relictâ Sueciâ, Daniam versus festinavit. Ast interim Haraldus in quarto succubuit conflitu, & viator cognito Haldani reditu, vacuam hoste repetit quantocytus Sueciam. Haldanus verò rebus in Dania ordinatis, & majoribus illic copiis congregatis, cum iis in hosticum remeat. Quando Ericum naëtus obvium haud imparatum, bina solum ostentat navigia, aliis retro promontorium insidiose collocatis. Ignarus dolii Ericus, hostem animose persequitur, inque reliquam delatus Dani classem, perimitur, cum oblatam nolle vitam, invicti princeps animi, obsequio redimere.

XXXI. HALDANUS, qui domesticum Sueciæ, Daniæque regimen ita naëtus pacatum, foras in piratarum colluviem arma protulit, Scondiæ oceanum infestantium; negotiatorum merces diripientium, & maris accolas prædantium. Nec paucos horum navali protrivit congressū, quos inter antesignani, Anundus & Tocho, Haldani potentia occubuerunt: Halda-no autem hujusmodi facinoribus in Scondianorum vergentibus emolumen-tum, insudanti, Sivaldus quidam in Sueonia, nonnullis procerum ad se pertractis, movit rebellionem; Illis etenim cum plebecula in concionem vocatis, scelus proponit Haldani, præstantissimo Sueciæ principi, Sivardo, quondam irrogatum, quem, filiamque hujus Ulvildam vitâ nefarie priva-set, hortans Sueones ad excutiendum Daniæ jugum, & indigenam eligen-dum quantocytus regem. Qua illi oratione commoti, Sivaldo, velut pri-scis patriæ regibus orto, sceptrum tradere statuerunt. Haldanus porro Sueonum cognita defectione, cum immenso advolat exercitu, quo Sivaldi sectatores territi, ab eo deficiunt. Ille tamen animum non despontens, fe-ciali ad Haldanum transmisso, se filiis VII. stipatum, cum ipso dimicare paratum indicat. Tergiversanti autem Haldano, quod iniquior sibi foret duelli lex, octonis congressuro; respondet Sivaldus, se unum cum filiis virum esse censem. Quâ licet non satis validâ, Haldanus ratione per-motus, solus cum octonis dimicat; & omnibus trucidatis, singularem ex circo gloriam reportat.

Huic autem invidens regis fortitudini quidam Helsingiæ pugil, Hart-benus, monstrosa vir corporis magnitudine, illum similiter provocavit, quem Haldanus VI stipatum commilitonibus, animose aggressus, ipsum athletasque prostravit. Deinde cognoscens alium in Norvegia pugilem, sub duelli comminatione formosissimam Hatheri regis filiam, contumacius uxorem flagitare, illuc profectus, ipsum nomine Grimonem, pugna singulari obtruncavit, & viator potitus virgine, Thorildâ, filium ex illa procreavit Asmundum. Simili demum audacia & contumacia Sigrutam consanguineam, Unqui Gotha Imperantis filiam, à quodam plebei generis pirata, Ebbone, intelligens expertam, habitu mutato, Gothiam accessit Haldanus, & sponsum nimis violentum oppressit. Nec tot Heroi-cis conspicuo facinoribus principi, mors parcendum judicans, illum lon-giori vitâ dignissimum, abripuit.

XXXII. UNGUINUS, Haldani testamento patrui Sueciæ & Daniæ Rex designatus, ista Scondiæ regna clarissima, Gothiæ sociavit. Verum Asmundus, Norvegiam avi ditionem materni suscepit gubernandam. Sueones autem Gothicæ & Danico nonnihil molestati dominio, regem sibi deligunt Regnaldum, quibus propterea Unguinus congressus, vitam cum Suecia in pœlio amisit.

XXXIII. REGNALDUS, inclita Regum Suetorum progenies victoriæ prosecuturus, & Daniam Sueciæ subjugaturus, cæso Unguino Selandiam invadit; ubi cum occurrente ipsius filio, Sivaldo, triduum acerèm pugnavit, & tandem lethaliter vulneratus, animam exhalavit. Occasus autem fortissimi Regis totus consternatus exercitus, relictâ hostibus victoriâ, classem repetit, in eoque non pauci, Haconis Norvegi, piraticam exercentis, militiam aliquandiu postea secuti fuerunt. Mortuo deinde Sivaldo, Sigarus illi filius subrogatur in Dania, quando adhuc Amundus, Haldani proles Norvegianæ dominaretur; Quos inter ob Haboris & Signis liberos utriusque amores, tantum exarsit bellum, ut illo non minus sanguinis profusum, quam prius Trojano, ipsim et quæcum filiis demum, & omni propemodum apud Danos ac Norvegos regia progenie, occubuerint. Quamobrem mox, aut certe postmodum forsan, Dani ex media sibi plebe duces elegerunt, quos modo Sueci, modo Vandali, modo Angli, continuis afflixerunt diu incursionibus, & Danos non raro subactos, crudeliter diverxarunt; Ac potissimum ille Britannorum Rex Arthurus, qui Daniam & Norvegiam armis subegit, atque huic quidem Lothum sibi junctum sanguine, dedit regem, non pauco in ea tempore dominantem. In Gothia porro interea rerum potitur Sivardus, fœcér Alphii, Sigaro Dano progeniti; Habuit namque filiam ille Alvildam, quæ bellandi cupidior, quam amandi, sponso deserto, cum plurimis ejusdem propositi virginibus, pro hujus ævi consuetudine, diuturnam exercuit piraticam, donec ab Alfio difficulter investigata, consentiret denique ipsius voto, matrimonioque. Inde vero nascitur Gyrita, quam Haldano denuptam, regiam in Dania progeniem instaurasse, Saxo nunc asseveravit, nunc negavit.

Fuerant præterea Sivardo Gothiæ Regi duo filii, Vemundus & Oftenus, Alvildæ fratres, secundum quos arbitror, Rodolphum Gothiæ in Scondia dominatum fuisse, armisque Anglorum superatum, circa CDLXXXVIII. à Christi nativitate annum, regno hostibus tradito, ad Theodoricum Gothorum in Italiâ regem commigrasse.

XXXIV. FRO seu Froto, qui velut Regnaldi natus aut cognatus, à morte illius vacuum concedit Sueciæ thronum, quo interea temporis pacificè fruebatur, ejusque ac filiorum conversatione Starcoterus plurimum delectatus, septennio cum ipsis Upsaliae morabatur.

XXXV. FIOLMUS, parenti successit apud Sueones Frotone, isque à familiarissimo sibi Danorum rege, ad quandam convivii festivitatem invitatus, illuc accessit; Ibi autem finito symposio sub vesperam in superiorum diversiorum contignationem potus admodum deducitur, & solus nocte concubiâ inde progressus, quando regreditur, contiguum intrat fortuito conclave, quod pavimento caruit; Et proinde lapsus in domum inferorem, in vas incidit capacissimum liquore plenum, quo suffocatus interit. Nec Danica prodit historia regis sui nomen, cum modo altum teneat illa diu silentium, & interim Suetica XII. suos describat reges; Quod perturbatissimo Daniæ statui rerum ibi gestarum dispendium, expensum est referendum. Falso autem Crantzius alibi hunc ponit historiæ defectum Scondianæ, à Saxone plurimum seductus, qui regnante in Dania Frotone III. natum esse Christum, & sub Snione postea Longobardos ex Scondia progressos,

gressos, falso commemorans, largam præbuit Crantio, inde annorum calculos mutuanti, occasionem à veritate deviandi.

XXXVI. SUEGDER, vel potius Suercherus, à memorato genitoris interitu sibi vendicat Sueciæ gubernaculum: Illique modico affidens tempore, stolide vovet se nullis parsurum discriminibus, antequam veterem illum, operum admirabilium thaumaturgum videret, Othinum. Hinc dæmon ipsum perdendi arripiens occasionem, se regi deinceps sub forma pygmæi ad radices montis cujusdam affatim patefacti, demonstrat, illucque ipsum invitat, Othinum ibi visurum; Itaque miserrimus iste mortalium Suercherus, se voti compotem fore gavisus, in montis ruit, vel potius Phlegethontis hiatus, nec amplius apparuit.

XXXVII. VALANDERUS, Suercheri filius, sceptrum mox adeptus Sueticum, paternis quidem honoribus, non moribus insistit, militarique summopere vita delectatus, Finlandos adorit rebelles; Quibus subactis, Drifvam reguli Finlandici filiam ibi dicit uxorem: Ex illa verò filium nactus Visburum, Upsaliam repetit, ac promittit ad uxorem intra trieteridem se redditum, nequaquam stans promissis. Quare post decennium filio ad ipsum transmisso, hortatur ut quantocytus se revisat, idque cum abnueret contumacius, illum operâ dæmonis incubi noctu opprimendum curavit, secus Scutensem in Uplandia fluvium regaliter humatum, prægrandique pyramide illustratum.

XXXVIII. VISBURUS, prædivitem nanciscitur conjugem, ipsique dotis nomine preciosum largitur monile, ac tria latifundia: Quæ licet binos ipsi filios enixa fuisset, illâ tamen repudiata duxit alteram. Quamobrem merito indignata, duodennes ad ipsum filios expedit, suam propter nuptias dotem & paraphernalia flagitatum; sed quandoquidem nihil impearint, minantur se paternâ citius opinione reddituros, matrisque despetum vindicatueros; Quas ille minas contemnens, à filiis insperatè opprimitur, & cum familia exuritur.

XXXIX. DOMALDERUS, ex altero fuerat Visburi conjugio genitus, illoque regnante, gravissimam Sueones annonæ caritatem sacrificiis aversuri, belluinas anno primo immolarunt frustra hostias; proinde humanas sequenti obtulerunt Upsaliæ, & cum graviori deinceps annonæ premerentur inopia, tertio demum anno frequentiores Upsaliæ congregati, régem sacrificio destinarunt, ipsoque mox immolato, summam rerum ubertatem anno proximo impetrarunt, ita ludibrio dæmonis in pristina magis cæcitate occæcati.

XL. DOMARUS, patri substitutus Domaldero, frugifera & pacifica habuit regiminis tempora, ac demum plenus dierum, annorumque in fata concedens, in campo juxta Upsaliam Furisvoldensi, fuit crematus, atque tumulatus.

XLI. DIGVIUS, alias Dignerus, velut illustris Inglingorum progenies, & Domari proles, regia capeſſit insignia, primus Scondice Röning/ hoc est Rex appellatus fuit; Quandoquidem antecessores fuerint Drotter, & horum uxores Drottningar nuncupati. Dignerus autem regali non diu functus potestate, vivis abripitur, & juxta parentem conditur.

XLII. DAGERUS, Dignerus satus, tantæ fuit Princeps experientiæ, ut etiam garritus avium intellexisse perhibeat, qui cum Danos haberet vectigales, illorumque timeret defectionem, suos illic habuit clanculum corycæos; Hos vero proditos Dani trucidarunt, & vectigal consuetum solvere penitus recusarunt. Itaque Dagerus paternum & avitum jus in Daniam conservaturus, illam armis adorit, & ab occurrentibus in regnorum colliminio adversariis, prostratus moritur, in trajectu hinc Vapnevad appellato.

XLIII. AGNIUS, bellicosus & victoriosus Dageri Filius, sceptro Sueciæ ornatus, Finlandos iterum rebelles, exercitu illuc traducto, ad pristinam compellit subjectionem & vectigalium solutionem: Victoriâ verò potitus, pulcherrimam Frostonis reguli natam Finlandici, Schialviam, velut obsidem secum inde abduxit in Sueciam, sed in via decore & amore virginis captus, quando Stochesfundium, velut commodiorem regni portum attigit, fixis in peninsula sub quadam arbore patula tentoriis, pactum cum Schialvia inivit connubiale. Atqui tanto malam illa gratiam retulit sponso; Etenim vino somnoque deinde sepultum, auxilio complicum, in præfata suspendit arbore, celerique contendit in patriam fugâ. Postridie autem proceres tentorum ingressi, scelus cognoscunt, & Schialviâ nequicquam indagatâ, funis ibi regium exurunt, sepeliuntque; Inde locus Agnefit vocatus, ubi longo post tempore regia Sueonum urbs, Stockholmia fundabatur.

XLIV. ALRICUS, quem & Ericum Agnius sceptri liquit Suetici hæredes, de quo domi plurimum corrixati, foras in equis exspaciantur domandis; ubi renovata contentione secundum verba, descendunt ad verbâ, cumque forent inermes, frenos equis detrahunt, hisque mortem sibi mutuam inferunt. Quando autem isti Sueonibus dominabantur, Gothis imperabat Gunnarus, Princeps fortissimus juxta ac fævissimus, qui gravibus à Regnaldo Noricorum Rege affectus injuriis, in Norvegiam irruptit, & ipsam ferro, flammâque crudeliter devastat. Itaque Regnaldus hostibus occurfurus, imprimis filiam, nomine Drotam, propriâ chariore vitâ, cum præcipuo regni thesauro, & familia lectissima, in commodissima quadam terræ caverna solerter abscondit. Deinde copiis quantocys congregatis, Gothos invadit; qui tamen victoria potiti, crudelius multo in profligatos defæviunt Norvegos; Et Gunnarus potissimum, qui Regnaldo internecioni tradito, incolis bello subactis, gravissima imponit tributa, bis annuatim pendenda, & horribilem molossum illic proregem constituit. Denique virginis & thesauri se accingit investigationi, & his inquisitis, Drotam cum regni opibus in Gothiam abduxit, eamq; duxit uxorem. Atque istis natus parentibus Hildegerus, ubi adolevisset, Norvegiæ sceptrum obtinuit; sed cum nimia illud crudelitate administraret, nec admonitus se emendaret, à patre Gunnaro proscriptus, in Sueonia exulavit, hujusq; regi strenuissimam diu operam navavit. Interea Gothi tyrannidem ipsiusmet Gunnari vehementer pertæsi Borcaro quodam, Gothiæ summate, antesignano, tyrannum jugularunt. Postea Drotam nactus conjugem Borcarus, Haldanum ex illa filium suscepit, qui progressu temporis regium Daniæ solium obtinuit.

XLV. INGO, patrem habuit Alricum & fratrem Alverum, qui Sueciæ jus in Daniam & Russiam pervetustum recuperaturus, illius sibi vendicat, & hujus affixat germano impugnationem. Quocirca Dani accepto belli nuncio, adventum hostis anteverttere decreverunt, hosticumq; quantocys ingressi, ad tolerabiores pacis conditiones Ingonem compulerunt. Interim Alverus cum Russis belligerat, ipsiusque militiam secutus Hildegerus, Gunnari Gothici filius, postquam generalibus hostem conflictibus haud superatum iri animadvertisset, ad singulares convertitur, & licentiâ regis Alveri hostium provocat fortissimum, ad pugnandum de summa victoriæ secum; Nec illam recusans conditionem Russus, Haldanum objicit Hildegero, athletica non minus fortitudine præditum, in Russiamq; nuper militandi gratia profectum. Atqui Hildegerus fratrem agnoscent uterinum, nec tamen ab illo cognitus, sibi ducit piaculo dimicare cum ipso; Et propterea sub vario prætextu, istum diu recusat antagonistam, nihilque efficiens fratri congriditur, à quo lethaliter vulneratus, cum mortisfe-

propinquum cognosceret, sium prodit genus victori Haldano; Qui fratrem ferò agnoscens, scelus hujusmodi multis prosequitur lamentis. Alverus porro ita ex pacto convento, gloriâ & victoriâ privatus, in Sueciam remeat, ubi compieriens Beram interea uxorem cum fratre scortatam Ingone, hunc gladio transfodit, & à moribundo mox etiam perfoissus, cum ipso in planicie contumulatur Furisvoldensi. Verum Haldanus permultis inclarescens trophæis, ex Russia in Daniam proficiscitur, & cum viragine quadam, veteri regum Danicorum sanguine oriunda, regni gubernaculo potitur; illam vero sterilitati obnoxiam intelligens, oraculis Upsaliæ consultis, monetur, ut prolis gratiâ suscitandæ, fraternalis primum manibus parentet, monitisque obtemperans, ipsi uxor Haraldum genuit, cognomento Hildetan; Qui post obitum parentis Daniæ adeptus sceptrum, gloriose in ea regnavit, & laceratam ad pristinum dominationis habitum revocavit.

XLVI. HUGLETUS, Alveri filius à patris interitu Sueonum clavo moderator accessit, qui plus avaritiæ, quam militiæ deditus, immensum cumulat thesaurum. Hujus autem potiundi gratiâ, velut etiam throni caussa Suetici obtainendi, illustris quidam Norvegiæ princeps Haco, illud dicitarum & artium magicarum impugnat mancipium, istoque cum duobus filiis occiso, thesaurum, Sueciamque occupat, quam triennio gubernat.

XLVII. HACHO, quem Jorunderus ac Ericus Ingonis filii admodum bellicosi, ad deferendum Sueciam, & Norvegiam repetendum, provocaturi, hanc navalibus infestant irruptionibus, atque Gudlogum, Helgalandiæ regulum, Hachonis consanguineum, bello captum strangulant. Verum sua nihilominus frustrati spe, hinc victoriosa in Hachonem signa convertunt, quibus ipse congressus, Erico vitam eripit, Jorundero sibi per fugam consulente. Hacho autem in conflitu mortiferum nactus vulnus, unianium cum reliquis cæsorum corporibus imponitur, quæ panis velis ex portu digressa, incenditur, cumque funeribus consultò exuritur.

XLVIII. JORUNDERUS, Haraldo Danorum Regi, amissas patriæ regiones per fas nefasque subjuganti, & Sconiam, Hallandiam atque Blechingiam, Gothiæ provincias, pariter occupanti, succensens, bello eas repperere statuit. Nec molitus Jorunderi Haraldum latuit, & propterea se Gothorum, Sueonumque potentiaë imparem fore considerans, Norvegiæ regem, paternæ mortis cupidum vindicandæ, ad suam pertrahit militiam. Inde tamen Jorunderus nequaquam deterritus, Danos, Norvegosq; simul aggreditur, ac de hostibus viator evadens, præfatas recuperat ditiones, & captam Haraldi germanam, cum aliis preciosissimis, amplissimisque manubii, in Sueciam transmittit. Huc autem viator mox subsecutus, cum virginie nuptias celebrat, Haquinumque ex ea filium deinceps sustulit. Porro Haraldus fororis, & regionum amissione, Daniæque vehementer offensus devestatione, bellum restaurat, revocato in subsidium Norvego. Jorunderus itaque parta defensurus, terra marique Daniam invadit, & habito cum hostibus sub Jutia conflitu, de ipsis triumphat. Quamobrem Haraldus suo diffidens marti, ad artes dolosque confugit; Etenim colloquio Jorunderi flagitato, & impetrato, fraudulenter cum ipso transigit, Suecusque nimium credulus inde seductus, exercitu in patriam remisso, illic cum paucis moratur servitoribus, nec Haraldi, velut affinitate conjuncti, formidat insidias, quas tamen aëtutum experitur; siquidem Danus & Norvegus præcipue mortem parentis ulcisci cupiens, Jorunderum appræhensum in sinu Jutiæ Limefiordensi perfidissime suspenderunt.

XLIX. HAQUINUS feu Agnius, cognomine Ring, minor annis, quam ut indignum parentis interitum protinus vindicare posset, cogitur ultionem aliquandiu prorogare; amicum Haraldo se avunculo simulare, ipsiusque favo-

re in Suecia & Gothia regnare. Sed cum illam attigisset ætatem, & hujusmodi acquisivisset interea potestatem authoritatemque, ut Danorum sibi potentiam non magnopere formidandam existimaret, cum Haraldo cœpit expostulare, super administrata minus æque tutelâ; Scondiâ, Hallandiâ & Blechingiâ Gothiæ Provinciis per Danos violenter interim occupatis, deque nefanda patris occisione, adversus datam irrogatâ fidem. A quo autem inconvenientius responsum nactus, bellum avunculo palam denunciat, ipsique postquam septennio vires, viros & robur omne mavortium utrinque comparassent, tantus mari, terraque ab Haquino & Haraldo exercitus ad campum in Gothia meridionali Bravalinum, proelio deputatum adducitur, quantus sub nullis prius regum signis Scondicorum fuisset conspectus.

Enimvero in sola Haquini classe duo millia navium & quingentæ numerabantur; nec pauciores dubio procul in Danica reperiebantur, indeque magnitudinem utriusque exercitus, non obscurâ licet conjecturâ investigare. Porro terrestres Sueonum copias ipsem ducebat Haquinus, & navales fortissimus Princeps Olo, Sivardi filius in Norvegia dominantis, Haquinique consobrinus, avunculo non minus etiam Haraldo infestus, quasdam propter injurias, fibi & patriæ illatas; Atqui Danicis cum summa præfuit copiis potestate, bellacissimus pugil Ubbo Frisius, Haraldi quoque sororius, quandoquidem Danus nimium grandævus supremi officio ductoris haud fungi valeret, qui tam proelio interfuit. Itaque congregato utroque, ad pugnamque ordinato exercitu, gravi reges oratione suis caussas belli commemorant cohortibus, & simul easdem instigant ad dimicandum pro patria quam fortissime, indeque miles utrinque animatus & efferatus, audito classico pugnam orditur; Quæ non pauco continuata tempore, postquam Haraldus ipsem, & Ubbo cum XXX millibus procerum Danicorum, excepta innumerabili gregariorum multitudine, cecidissent, inclytam Sueonibus victoriā adjudicavit. Nec tamen incruentam; siquidem XII millia optimatum, præter inferioris homines conditionis quam plurimos, occubuerint, Sueticorum & Gothicorum.

Clarissimâ vero Haquinus victoriâ potitus, receptui canit, investigatum avunculi cadaver, quo par erat honore, moreque prisco, cum omnibus summatum Danicorum funeribus sepelit; Daniæ regnum Sueciæ submissum, illustrissimæ, pugnacissimæque viragini Hethæ, annua inde fibi tributa soluturæ, tradit regendum, ita non modico incolas despectu cumulans. Ast Sconiam, Hallandiam & Blechingiam Gothiæ restitutas, Oloni consobrino committit, etiam sub annua gubernandas pensione. Cæterum Dani foeminæ imperio diu subesse magnum fibi dedecus reputantes, Olonem, consensu Haquini, regem designant, solo Jutiæ dominio Hethæ permisso. Nimia vero tyrannide Olonis oppressi, permutationis illos pœnituit, & percussore propterea submissò, tyrannum regimine, vitaque privarunt; & ipsi tamen filium subrogarunt Omundum, velut prisco regum sanguine Danicorum oriundum. Interea temporis Haquinus, Sueciæ, Daniæ & Gothiæ supremus dominator, tranquillo fruitur regimine, cūjus nomine diis gratiam relaturus, atque diuturnam ab iis vitam impetraturus, solennissimum Upsaliæ sacrificium vanis exhibuit numinibus; Quando in somnis admonitus, ut Othino filiorum immolaret unum, ita LX. deinceps annis supervicturus, obtemperavit; hisque transactis, nova sacrificii celebrat iterum solennia Upsaliæ, illicque dormienti revelatum, quod vita impostorum tam diu esset fruiturus, quam diu unum ex filiis reliquis decennio quolibet immolaret Othino. Nec recusavit Haquinus, & cum VII. hoc pacto crudeli obtulisset filios, præ nimio senio nixus scipione incedebat. Nihilominus octavum immolavit, & lecto per illud adhæsit decennium, quo completo nonum sacrificavit, sequentibusque X annis velut infans, corneo lactabatur ubere. Attamen decimum sacrificio destinavit filium, sed cum uni-

unicus esset regni hæres, morti hujus Sueones consentire nullo modo voluerunt. Quamobrem fatis Rex sublatus, in præcelso terræ cumulo sub Upsalia conditur.

L. EGILLUS, paterno deinde sceptro donatus, isto per Thunnohem quendam parentis quæstorem ferme privatus fuisset; Is namq; post Haquini obitum non modicam regii thesauri portionem expilaverat, & cum propterea in ordinem nonnihil esset redactus, ad sylvarum profugit latebras, eoq; multa nebulorum ac latronum colluvie convocata, & salariis donata, in primis illac facientes iter, deinde viciniam incolentes, ac demum universas regis ditiones occœpit infestare. Atque ut coñilitones sibi redderet magis propensos, quaslibet ipsis permisit manubias, ideoque innumera hominum frequentia prædarum dulcedine illecta, Thunnonis ad partes confluxerat. Quocirca Egillus illas prædonum cohortes quantocyus extirpaturus, ipsarum adoritur latibula, indeq;è profligatus, hostes palam in regno grassantes, denuo simili fortuna invadit. Proinde cum octies diverso esset conflictu ab iisdem superatus, Omundi Regis consanguinei subfidium flagitat, illudque nactus, nonò Thunonem aggreditur, ipsoq; trucidato, & agmine illius omni debellato, clavum regni tranquillè gubernat. Quando autem vitæ curriculum metæ, hominibus præfixæ, appropinquabat, Egillus venationi dans operam, in admissarium fortuitò incidit taurum præferocem, qui vano petitus telo, acutum validè cornu regio immersit pectori, eoque princeps exanimatus vulnere, juxta parentem Upfaliæ humatur.

LI. OTHARUS, Egillo natus, qui ad regium Sueciæ fastigium subvectus, primam super conjuge sibi providenda suscepit cogitationem; Cumq; soror Danici Regis, Sivardi, potissimum ipsis arrideret, expeditis eò legatis, illam sibi despondet. Inde autem postea sponsam adducturus, Ebboni procerum uni Suecicorum primario illud commendat negotium; Qui propterea insigni apparatu, comitatuque Daniam versus festinans, in Hallandia latronum infidiis impetratur, quas difficulter evadens, ad Otharum tristissimus, ob comitum internacionem, revertitur. Suecus porro hujus culpam sceleris Sivardo imputans, germanam ægrius forsitan elocanti, Dano insonti bellum denunciat, ipsiq; congressus in Hallandia palmam reportat. Deinde Scaniam nuper Gothis ablatam occupat, eaque Sibboni commilitonum præcipuo commendatâ, reliquas Daniæ provincias peragrat & devastat, quoisque sponsam invenisset, quam illustri cum triumpho in Sueciam perduxit.

Interim Sivardus ex Hallandia profugerat in Jutiam, illiusque in fortunio Visimirus Slavorum Princeps animatus, ibi fugitivum bello excipit: Victor jutiam subjicit: captas divendit filias, unam quidem Norvegis, alteram vero Germanis; sed Jarmericum, Dani filium, obsidis loco in vinculis censuit retinendum. Difficili proinde fuga Sivardus in Sielandiam dilapsus, hanc sub tributo Slavis pendendo retinuit; Ac Sconiam Sibboni erupturus, illam sæpenumero impugnavit, & demum in ea graviter sauciatus, vivorum numero demigravit. Buthlus autem fratri subrogatus in Sielandiæ dominio, annuos similiter census Visimiro numeravit, nec Sconiam, Hallandiam & Blechingiam affectavit; Quæ profecto regiones, pomum velut æridos, Suecis atque Danis identidem fuere. Nec multo post tempore Jarmericus, ex custodia Slavorum elapsus, in Daniam remeat, hujusque gubernaculum patruo extortum occupat. Quando Rex Sueonum Otharus, Sibbonem Scaniæ vasallum fororis stupratæ insimulatum occidit, illamque Sibonis cædem cognati vindicare cupientes, ad Jarmericum profugiunt, ipsi Sueciæ, Gothiæ & Sconiæ dominium offerunt, dummodo ho-

homicidæ velit Otharo bellum quantocytus inferre. Hac lætus occasione Jarmericus Sconiam recuperandi, & non contemnendis profugorum viribus, virisq; fretus, arma in Otharum expedit. Nec ea formidans Suecus, hosticum prior invadit, ubi â Danis debellatus, occubuit, non tumultus; ipsius siquidem cadaver victores in præcelso montis jugo corvis & cornicibus dilaniandum exposuerunt, ligneamque Suecis corniculam, hujusmodi verborum contextu inscriptam, transmiserunt: *Non pluris fuit æstimandus vester Otharus, quam lignea præsens est cornicula.* Indeque â postbris Otharus cognomine Vendilchraca nuncupabatur. Cæterum Jarmericus victoriam prosequens, Sconiam, Hallandiam & Blechingiam, non reliquum Gothiæ, Sueciæ subjugavit.

LII. ADELUS, illustribus admodum Jarmerici viatoriis, de Slavis & Livonibus reportatis, nonnihil territus, necis vindictâ paternæ aliquandiu supersedit. Atqui tandem more pertæsus, obvagantem in Oceano Jarmericum, & quodammodo triumphantem, binis in auxilium fratribus vocatis, adoritur. Post triduanum verò prælium Jarmericus cum hoste ita paciscitur, quod venustissimam esset Adeli sororem Suavildam habiturus uxorem, & hanc singulari amicitiâ culturus affinitatem. Ali quanto postea secundum nuptias tempore, Suavilda in suspicionem adulteri vocata, cum privigno commissi Brodero, innocentissima morti adjudicatur, ac jumentorum prostrata unguis, immanissimeque conculcata, maectatur. Quare Adelus crudelissimo parentis & sororis interitu gemens, furens, fremensque auxiliaribus undeque cohortibus in tyrannum ferocissimum comparatis, Dania cum frequentissimo ingreditur exercitu. Jarmericus autem nec ab indigenis, nec alienigenis, quibus propter bellicinam fuit crudelitatem meritò invisus, opem nactus summopere postulatam, arce quadam munitissima captavit refugium; Quâ demum plurimo Sueonum labore, sudore & cruento expugnata, Jarmericus membris truncatur, & thesauro, vitaque spoliatur: Ita inhumanissimam Othari, & Suavildæ cædem, Sueones atque Gothi vindicarunt. Quos Saxo vocat Helleponicos, non accolas freti, Ægæum mare â Propontide disternant, intelligens, sed populos orientem versus, portum Scondiæ, & finum accolentes Balticum, alias absurdissimi convinceretur mendacii. Verum ad victorem redeat calamus Adelum, qui hostibus devictis, Scaniam & conterminas Gothis restituit regiones, Daniamque fortassis pariter subjugatam, Brodero Jarmerici filio, tributa inde pensero, annuit. Tantam porro victoriam suis referens idolis falso acceptam, magnificentissimum illis Upsaliæ sacrificium exhibuit; Quando circa Deorum fanum triumphans obequitat, & caballo nimium cespitante, corruens in terram, cervice fracta expirat, in propinquis sepultus monumentis.

LIII. OSTANUS, fato parentis superstes, orbum Sueciæ thronum ascendit, quando Broderus clavo assidebat Daniæ, horrendis tempestatisbus quassato. Externis autem bellis Ostanus defunctus, internis & domesticis excipitur. Etenim præpotens quædam in regno familia, injuriis forsitan ab illo divexata, formidabilem in regno auspicatur rebellionem, seditionemque. Quod periculosum patriæ incendium, quando in Gothia Ostanus extinguere conatur, illic ab hostibus circumventus, in domo quadam vero igne concrematur.

LIV. INGVARDUS, ut rege fortissimo natus Ostano, ita dotes regias laudabiliter æmulatus est, & præcipue gloriofissimis bellorum studiis invigilans, clarissimos ex hostibus triumphos reportavit. Huic vero synchonus fuit rex Danorum, Sivaldus, qui pigritiæ magis, quam militiæ deditus, confenuit inglorius, & Sunionem interea genuit parente virtutibus illustriorem. Is namque regia ornatus dignitate, non paucas Daniæ provincias domi-

dominio externorum subjectas principum, recuperare conabatur. Atque Sconiam in primis, quod prius Daniæ aliquandiu auscultasset, subjugaturus, Gothici Regis familiaritatem, velut Sconiæ dominantis, & affinitatem sedulo captavit, ut filiam hujus natus uxorem, cum ea simul Sconiam, nomine datis, consequeretur. Nec virgo principis illustrissimi conjugium aversata, magis à sposo inescatur; Sed Gothus cum tanto regni dispendio, filiam Dano abnuens elocare, ipsam corivali despontit regi Sueonum, Inuardo. Itaque Snio nec virgine, nec Scondiâ potitus, magnopere indignatur, & hac marte occupatâ, illam arte, fraudeque viro subducere clanculum meditatur. Neque vana illius fuit molitio, quandoquidem per occultos in aulâ Inuardi fautores, Reginam primò seduxerit, & ipsam deinde haud reluctantem, inde secum in Daniam abduxerit.

Quamobrem Svecus uxor, & Gothus filiæ, Sconiæque insanientes propemodum amissione, ablata nequicquam repetunt; ideoque conjunctis armis raptorem invadunt, & diuturnum cum ipso bellum gerunt, antequam Snione trucidato, non modo fœminam, provinciamque recuperarint, sed Daniam quoque universam subjugarint. Inuardus autem Sveciæ, Daniæ & Gothiæ (quam socero mortuo etiam consequitur) amplissimo haud contentus imperio, multas simul orientis regiones & nationes sibi facit vectigales. Quæ tandem jugum excussuræ, Inuardum in quadam semel Baltici maris insula morantem, nihilque periculi formidantem, fraudulenter invadunt, & occisum, in littore regaliter sepeliunt.

LV. AMUNDUS, qui paternum ulturus interitum, hujus reum Orientis populum crudeliter admodum populatur, inde postea cum preciosissimis in Sueoniam remeans victor manubii. Nec amplius bellis delectatus, se totum pacificis regni negotiis mancipat, valetissimis passim succisis nemoribus, crematis & seminatis, Sueciam multò cultiorum, feracioremque reddit; Sicut etiam commodissimas per illam vias quaquaversum aperit, & hinc propterea Braut Amundus, hoc est, eradicans impedimenta in sylvis occurrentia, indeque agros & vias præparans. Quocirca hujusmodi sedulus Amundi labor, fertilissimos Sueonibus annos & ingentem annonæ ubertatem diu conciliavit. Nec modo ipse met regni Princeps hinc immensos comportavit thesauros, qui ut fuerat humanissimus, ita & ditissimus extitit; Sed etiam plerique Sueonum non modicos opum acervos cumularunt. Huic vero Amundi fortunæ & fortunis inviens frater ipsius Sivardus, & regiam affectans dignitatem, Amundo in Neritia congressus, illi utrumque, ac vitam simul ipsam, eripuit.

LVI. SIVARDUS, Fro cognominatus, quod inclytum duceret genus ab idolo Frejeri seu Froe, cuius progenies etiam Inglingar, ab eodem vocabatur genearcha, post fratris cædem violenter Sveciæ clavum arripuit. Norvegia etiam affectans dominium, cum Sivaldo illius rege deinceps belligeravit, ac æmulo cadente, victoriâ, Norvegiâque potitus, immanissimam in incolas exercuit tyrannidem, ne fœmineo quidem imbelli parcens sexui. Mulierum præterea nobiliores, venustioresque, sibimet, & suo prostituit militi, fœdissima omnino libidine Norvegis aliquandiu dominans. Itaque Norvegi spurcissimum veneris mancipium summopere detestati, opem flagitant Regneri Dani, quod paternam ex Norvegia traheret originem, & protinus adventanti Danorum exercitui, non viri modo, sed etiam fœminæ, armis formidabiles, se catervatim & certatim ad jungunt. Harum porro singulari opera, contra suæ violatores pudicitiae acrius dimicantium, Regnerus Sivardum interfecit, sibique Norvegiæ subjecit.

LVII. HEROTUS seu Heroltus, Amundi vel Siguardi filius, aut frater

ter utriusque, non paucō hactenus tempore folis fuit Gothis dominatus. Et interim ille, Gethericusque Danorum Rex, à Gothis & Danis Vinetam, opulentissimum Vandaliæ inhabitantibus emporium, impense obsecrati, amplissimas conterraneis suppetias tulerunt. Præfati siquidem negotiatores à suis nimium divexati concivibus, opem à patriæ flagitant principibus, illamque nacti, non difficulter adversarios anno DCCC. superarunt, & urbe divitiis spoliatâ, soloque adæquatâ, Byrcam Sueoniæ, illorum plerique demigrarunt. Verum deinceps Herotus post Sivardi occasum, Suecorum etiam sceptro potitus est, quando Regnerus repudiata uxore Lantgertâ, pervenustam Heroti filiam Thoram postulat conjugem, nec impletat, antequam pro hujus ævi consuetudine, magis virtutem quam sanguinem æstimante, heroicum edidisset facinus, prælustremque ita virginem promeruisse. Quamobrem immanibus ex pacto bellui, conclave virginis tutantibus, congreditur, & his obtruncatis, Thoram tori consortem adipiscitur; Quæ non paucos illi filios genuit, horumque fuerant primarii Birornus, Sivardus, Ivarus & Agnerus, ac tyranni nefarii.

LVIII. INGELLUS, Brautamundi filius, qui cum interea sub occultâ Suibdageri curâ tutoris & nutritoris adolevisset, cognatorum & amicorum ope paternum Sueciæ thronum recuperavit. Mansuetioris autem naturæ fuit Ingellus in pueritia, & propterea nutritius ferocioris ipsum redditurus ingenii, frixa luporum corda illi præbuit crebrò manducanda: Quo evasit edulio identidem comesto ferocissimus, & quando regimen fuit suscepturus patriæ quoslibet Sveciæ regulos admodum familiariter ad suæ inaugurationis festivitatem invitavit. In horum porro reliquorumque frequentia optimatum, Ingellus comparens, suppedaneo ante solium locato confedit; Cumque chrysendenton mero plenum, more veterum, ipfi porrigitur, assurgit, & postquam juramento se obligasset, quod regni terminos duplo magis esset prolatus, vel moritus, auratum evacuat cornu, sequit in throno collocat.

Proxima vero nocte præsentes ibi VII regulos, & peculiari dormientes triclinio, igne tectis injecto, exurit, illorumque sibi regiones subdit. Hac proinde Ingelli perfidiâ & tyrannide, reguli Sueonum absentes, vehementer offensi, contra illum protinus insurgunt. Quibus cum Ingellus infeliciter præliatus, ad pristinos configit dolos, ac institutâ cum iplis amnestiâ fraudulenter, simulat amicitiam, indeque securos flammis similiter concremat. Ita XII Sueoniæ regulos sustulit, quorum potissimum fuit Gramus Sudermanniaæ princeps, & gener Haquini Ostrogothiæ dominantis. Cæterum interea Ingellus, leges nihilominus æquissimas condidit, in unum congestas volumen, operâ Vigeri Spache, hominis prudentissimi. Et liberos genuit Olaum, & Asam, quæ admodum truculentæ fœmina naturæ, Gudroto Scaniæ regulo nupta, maritum & levirum perdidit, regnumque hostibus prodidit.

Inde postea in Sveciam ad gremium profugit parentum, quam Ivarus, Regneri proles etiam sævissima, insequens, statuit cædem cognatorum vindicare. Quocirca Ingellus adventu territus hostis ferocissimi, impio filiæ suasu flamas domicilio subdit, cum illaque & familia propemodum universa conflagrat. Sed Olaus regis filius sibi fugâ consuluit, in Vermelandiam cum plurimis hominum secedens, quam nemoribus paſſim succisis, quod reddiderit cultiorem, Tretelga, hoc est, arborum cæſor, fuit agnominatus.

LIX. CAROLUS, principum unus Sueticorum, mox sceptrum arripit, quod Regnerus suis eruptum filiis indignatus, Carolo monomachia prostrato, illud Beroni filio procuravit.

LX. BERO seu Biornus, Heroti ex filia nepos, Svetici moderabatur regni habenas, quando S. Ansgarius anno DCCC XXIX, ut certus opinor, missus in Sueoniam legatus à Ludovico Imperatore, illi verbum salutis æternæ annunciavit. Quod autem Deo non auscultaverit vocanti, regio deinceps fastigio deturbatus, permultas sustinuit calamitates. Etenim Esbernus procerum in Suecia potissimus, quod suam Regnerus filiam constuprasset, contraëtis undequaque copiis, ipsum impugnavit. Ac licet Esbernus cum plerisque commilitonum in confictu occubuerit, tamen Sueonum reliqui jugo subesse Danico nulla diutius ratione volentes, bello quantocytus instaurato, Regnerum & Biornum regno expulerunt. Hic postmodum quandam in Norvegia provinciam sortitus, nec illa contentus esset, oceanum diu obvagatur, hujusque accolas, fratribus in commilitum adhibitis, prædatur.

LXI. AMUNDUS, qui modico etiam tempore rerum in Sueonia potitus est, ob tyrannidem sceptro privatur, regnoque expulsus, horrendam in Christianos patriæ movit persecutionem; Quia inter alios Nitardus presbyter gloriosum pro Christo subiit martyrium. Amundus verò piraticam deinde amplexatus, crudeliter in Vandalos & Britannos fertur defæviisse, ibique demum periisse.

LXII. OLAUS, cui pridem nupserat Solvegis, reguli filia cuiusdam in Solœgia Norica dominantis, illique plurimos genuerat filios, quorum primogenitus avo dudum materno successerat in Soloegia Haldanus, cognomento Huitben. Cæterum Olaus à Sueonibus Anundi detestantibus dominium, ad suscipiendum, defendendumque regni gubernaculum ex Vermlandia tandem revocatus, ut eo tranquillus potiretur, affinitate decrevit sibi adversarios devincire. Idcirco filiam Regneri suo poscit filio conjugem Ingoni, quam non difficulter obtinuit, & cum illa pacatum Sueciæ, Gothiæque imperium. Post modicum verò exinde temporis, supremus ille cœli terræque dominator, multò feliciorem cum Olao invit transactioem; Quippe anno DCCC LIII. S. Ansgarius divino admonitus instinetu, in Sueciam festinavit, & Olaum Byrcæ morantem de suscipienda Christi religione compellavit. Nec frustra; Quandoquidem ille consveto fortis jaëtu, & oraculi responso, vel potius tacito Sancti Spiritus impulsu, commotus, non populo solum universo licentiam sacra suscipiendi Christiana indulserit, verum ipsem etiam iisdem fuerit solenniter initiatus. Temporis deinde progressu, cognoscens Ericum Daniæ regem, cognomento infantem, rebus excessisse humanis, & Canuto minorenii filio, quendam Helgonem regni sceptrum eripuisse, consideransque commodam sibi occasionem modo oblatam, non Scaniam duntaxat recuperandi, sed quoque Daniam subjugandi, & calamitatem Sueciæ ac Gothiæ tot annis per Regneri filios inflictam, oportunè compensandi, cum plurimis bellatorum millibus hosticum ingreditur, incolisque debellatis, thronum Daniæ adipiscitur. Quinquennio autem ibi rerum potitus, sceptrum Ennignupo commendat filio, & in Sueciam remeat. Hanc porro insignis tunc flagellaverat annæ caritas, quam Deos sacrificio placatos affirmant Ethniciaversuros, ad illudque propterea regem invitant, unâ Diis litaturum. Atqui cum vanis se numinibus nequaquam immolaturum responderet, illi culpam infrugiferi temporis imputarunt, & compræhensum Diis Upsaliæ immolarunt, Ingonom ipsi filium in throno deinceps subrogantes. Verum modò regum historia Danicorum revocat calamum.

R E G E S
In Dania Letrenses.

GRAMUS VII Danorum rex, & fortissimus Schioldi filius, Schioldingarorumque primus, ad regiminis consortium à parente suscepitus decrepito, quendam in primis Ringonem Sielandiæ Dynastam, sceptro inhantem, publicis opprescit armis. Æmulo proinde sublato, & regno ubique pacato, Gramus Roarii filiam educatoris sui conjugem sibi delegit, sacrisque nuptiarum peractis, Sumblum Finlandiæ regulum bello infestat maritimo; Verum filiam illius Signem nactus sponsam, canit receptui, domumque regressus, priorem assignat conjugem Beslo, commilitonum fidelissimo. Post temporis vero paululum intelligens, Signem ex perfidia parentis Henrico nupturam regi Saxonum, Finlandiam repetit, & habitu mutato ipsa nuptiarum festivitate, corrivalem gladio impedit, perimitque. Viator deinde Signem, plurima insignem venustate, secum inde abducit in Daniam, ubi filium sibi postmodum enixa fuit Hadingum.

Nec bino Gramus conjugio satiatus, tertium secretus molitur; Enimvero cognoscens Gro, Sigtrugi regis filiam Suetici, formæ præstantiâ nulli secundam in Scondia, illustri cuidam esse pugili desponsam, ipsique virginem invidens, Signe repudiata, per legatos in Sueciam subitò transmissos, Gro postulat uxorem. Ibi autem passus repulsam, secretis puellam nuntiis, litteris atque donis ad suos pertrahit amores, raptamque demum transvehit in Daniam, ac filium ex illa suscipit Guttormum. Porro Sigtrugus violentas ægrè ferens nuptias, raptori bellum denunciat, in quo vixtus occubuit, & Sueones, Suarino Gothorum ipsi rege quantocytus substituto, bellum renovant. Sed isto etiam Suarinus cecidit, victorque Gramus Suecæ ac Gothiæ dominium suscipit. Nec tamen ipso fuit diu potitus; Siquidem incolæ rigidum nimis alienigenarum detestati imperium, Suibdagero Norvegiæ Regi sceptrum, velut propinquo Sigtrugi & Suarini cognato, deferunt. Quod propterea haud recusavit, eoque donatus cum frequentissimis ac fortissimis agminibus ex Suecia, Norvegia & Gothia congregatis, hostem persequitur, illumque in Daniam usque insequitur; Illic quoque marte usus secundo, Gramum prosternit, & Daniam suo imperio substernit.

VIII. SUIBDAGERUS, qui post Grami occasum, Scondiæ dominium universæ sibi vendicavit, & ducta in matrimonium filia Grami, ex qua filium consequutus est Asmundum, diurno in Suecia, Dania, Norvegia & Gothia tempore feliciter regnavit. Interim Brache, optimatum quidam Danicorum, filios Grami Gutormum & Hadingum primò in patria clanculum educaverat, deinde Suibdageri metuens infidias, alumnos secretò per mare in Sueciam ablegatos, Vagnosto & Haphlio gigantibus commendat porro educandos, atque protegendos.

IX. GUTTORMUS, quem Suibdagerus uxorius fatigatus precibus, ex latebris sub fide publica evocatum, suum in Dania proregem constituit, annua sibi tributa pensurum.

X. HADINGUS, fratris promotionem, & Suibdageri meritò subverens molitionem, comite Hartgrepâ, Vagnosti educatoris filiâ, magicæ artis scientissimâ, in qua ipsemet etiam Hadingus fuit versatissimus, ex Sueonia in Daniam remeat. Sed neque in patria securam sibi diu mansiōnem fore animadvertis, præcipue post amissam ibi pellicem, Hartgrepam, ab infernalibus in via disceptam lemuribus, in cuius maleficiis omnem habuit spem collocatam, dæmonis patrocinio sub forma sibi Othini apparentis, piratam deinceps socium nanciscitur Liferum. Cum illo autem in Finlandiam

landiam matris profectus patriam, ibi cognatorum auxilio Locherum, Curlandiae principem oppugnavit, ab illoque fauciatus, & fugatus, præsentem Othini opem imploravit, & impetravit. Nam ab illo vel potius diabulo, inde per aëra transvectus, tuto loco curatur; potionē quadam vegetatur, & demum incolumis reportatur. Nec difficulter Lochero hujusmodi deterrito præstigiis, reconciliatus, Handuvanum propinquæ regem ditionis aggreditur, & Dunâ urbe, in qua ille delituit, per hirundines ignem sub alis fungo inclusum, ad nidos in civitatem deferentes, ipsamque accendentes, callide inflamatâ, & isto stratagemmate occupatâ, Handuvanum adipiscitur; Qui tamen lytro ingenti numerato, incolumis dimittitur.

Hinc ditatus plurimum Hadingus; cohortibus Orientalium nationum roboratus, & suis animatus incantationibus, Suibdagero sub Gotlandia conreditur, & illo post acerrimum ibi conflictum perempto, Daniam recuperat; Quam Asmundus Suibdageri filius ipsi erupturus, & necem vindicaturus paternam, Hadingum invadit, qui bellum haud detrectans, hostibus animosè occurrit. Atque flagrante vehementer prælio, Asmundus filium intelligens Ericum corruisse, ipsum furiosus contendit ad Hadingum per densissimos infestissimosque hostium cuneos, & mortiferum adversario telum intendit. Qui suis proinde viribus diffusus, familiarem invocat dæmonem, & hujus opera protinus comparentis, Asmundum trucidat; non tamen impunè; Siquidem corruens illic Asmundus, tantum Hadingo vulnus in pede inflixerit, ut perpetuam inde claudicationem contraxerit. Victoriâ potitus, in Sueciam Hadingus effunditur, quem Uffo Asmundi filius, Sueciæ ac Norvegiæ moderator, ad deserendam patriæ infestationem compulsurus, Daniam cum suo invadit exercitu; De qua factus infestatione certior Hadingus, domum properat, & Uffo vicissim remeat in Sueciam hostibus liberam.

Cæterum Hadingus se delusum tantopere indignatus, veris initio hosticum repetit, & infortunatiorem ibi martem solito expertus, plerisque suorum amissis commilitonum, per immensa diverticula & pericula in Daniam revertit. Postea uxoris quam belli amantior, Norvegiam adiit, ubi Ragnildem, Nitherorum Regis Haquini filiam, & Frothonis matrem sibi conjugem adscivit; Illic porro commorans, cujusdam ductu sagae ad inferos, velut Aenæas, descendisse perhibetur, & inde regressus, Daniam cum Ragnilde revisit. Quando inaudiens se neci destinatum ab Uffone, percussorem Biarmensibus stipatum profligavit, & dolum dolo compensaturus, Uffoni vicissim struit laqueos, in quos ipsemet incidisset, nisi fuga sibi quantocuyus consuluisset. Non multo tamen post tempore, Uffoni magis prospere insidiatus, ipsum sustulit, & Hundingo, alteri Regis Asmundi filio, sceptrum Suecia contulit; Quo cum Danus non immemor variorum discriminum, metuens belligerare, inviolabile pangit foedus, & cum temporis progressu intellectisset, Hundingum illius vigore, mortem sibi concivisse, ut amico sui amantissimo vicem referret, in plurima ordinum Danicorum frequentia spontaneo interire voluit laqueo, ex trabe admodum præcelsa propriis suspensus manibus. Tragicum vero ante hunc interitum, florente Suecos & Danos inter pace memorata, Hadingus Juthos, Tostone quodam authore, rebellantes, armis mulctavit. Nec tamen Juthi obœdientiores reddit, Sigfridum Saxoniæ regem subsidio advocarunt, qui tantam vindicandæ necis paternæ, quondam à Gramo illatæ, haud negligendam ratus occasionem, arma Juthis conjungit. Hostibus nihilominus intrepide Hadingus congressus, in primis superatur, & bello deinceps renovato, evadit triumphator. Reverso autem parenti cum victoria, infidias filia struxerat Ulvilda, ut ipso fatis ita sublato, Daniæ obtineret maritus Guttormus dominium. Sed Hadingus de his per somnium admonitus, periculum declinavit, & ge-

nerum fraudis confortem illico mactavit, securus postmodum regnans, donec seipsum, ut præfatus sum, strangularit.

XI. FROTHO, Hadingo & Ragnilde fuit prognatus, qui reperto in terræ visceribus immenso sane thesauro, inde copiosum naëtus belli nervum, in primis cum Dornone Curetum, & postea Tronnone Russorum, dimicat principibus, ac demum utrique magis arte, quam marte sub jugum misso, imponit tributa; Hinc vero domum regressus, promissos exigit ab illis census, sed Tronno legatum Frothonis jugulat, & omnem ipsi subjectionem renunciat. Quamobrem denuo illuc Danus exercitum traducens, munitissimas eripit rebellibus urbes, & diripit Rotalam, Peltiscam, Audunumque, ac tandem regis filiam adeptus conjugem, socero libertatem & pacem indulget. Interea cognoscens Suanhuitam & Ulvildam sorores, se inconsulto nupsisse, ac subverens ne potentes adeo sororii Daniae sibi eriperent, quantocytus Scondiam versus properat, & in reditu Suanhuitam haud impune molestat. Ea siquidem virilis animi fœmina, mariti auxilio audacter fratri congressa, ipsum compræhendit, qui tamen donatus libertate in patriam contendit; Ubi sororium intelligens Ubbonem, perfido uxoris consilio, ad supremum regni dominium conspirare, ademptam ipsi Ulvildam Scoto commilitonum integerrimo dedit in matrimonium; Qui ab ea, dominandi cupidissima, etiam crebro instigatus, ad eripiendum Frothoni sceptrum, nec ad illud animatus piaculum, morti per Ulvildam destinatur, quam tamen evaserat. Froto autem rebus in Dania pacatis, cum Frisonum, Scotorum & Britonum aliquandiu belligeravit regibus, atque cum gloria & victoria inde reversus, quorundamque perversis suas calumniatorum, Regnero Sueonum regi, sororio alteri, bellum intulit, in quo cecidit, Daniæque gubernaculum, Haldano, Roe ac Scato, filiis, moriens tradidit.

XII. HALDANUS, qui monarchiam Daniæ sibi & filiis provisus, fratres regiminis confortes, vita, regnoque spoliavit, & horum fautores diuturno carceris squalore cruciatos, laqueo consumpsit, in aliosque Danorum non paucos enormia perpetravit scelera; Et nihilominus tamen senio, non gladio, licet ea tyrannis mors raro accidere soleat, vitæ finem fortitus fuerat.

XIII. ROE, primogenitus Haldani filius, cum pacifice multo regnasset in Dania tempore, interimque Roschildiam, urbem Sielandiae amænissimam condidisset, de suo & fontis nomine propinqui appellatam, ab Halvardo Hothebroto Sueonum rege ad bellum provocatus, cum ipsis pari dimicat fortuna, & tertio prostratus confictu, Dianam victori permisit.

XIV. HOTEBROTUS, propinquiores se ratus hæredem Daniæ, quam foret Roe Hadingi pronepos, utpote ipsius ex Suanhuita nepos, cognato, ut dictum est, perempto, Daniæ potitur. Helgo autem secundo genitus Haldani filius, cognito fratri interitu, & Hothebroti ex Dania in Sueciam reditu, patriam ex piratica repetit longinqua. Vicarios Hotebroti gubernatores ibi relictos interficit, ac regni clavum arripit. Ipsum vero Hotebrotus illi extorturus, cum instructissima Daniam versus classe velificat, nec minori hostibus potentia occurrens Helgo, victoriam, cæso Hothebroto, reportat, & Sueciam Daniæ subjugat.

XV. HELGO, qui dum protinus à parentis obitu Haldani, Daniæ cum Roe germano divideret regiones, maris forte naëtus imperium, frequentissima, strenuissimaque commilitonum multitudine comparata, diuturna Oceanum & illius accolas piratica infestavit. In primis autem ad littus Hallandiæ delatus, Roluonis ibi filiam cuiusdam, nomine Thoram,

deflo-

defloravit, indeque Ursam procreavit. Postea in altum denuo proiectus, cum Scalco Slavorum, & Hundingo Saxonum regibus, tempore non modo bellavit, illosque demum prostravit; Quando iterum ad Thorœ vicinam Hallandiæ insulam appellenti, Thora virginitatis olim amissæ meditans ultiōrem, Ursam modo nubilis filiam ætatis, substernit. Itaque Helgo fraudis ignarus, incesto se maculavit concubitu; Ex quo nascitur deinceps Rolpho, agnatumque Helgo scelus vehementer detestatus, illud Thorœ graviter exprobavit. Interim porro, velut præfati sumus, idem Sueciæ ac Daniæ potitus imperio, secundum Hotebroti cædem, potentissimus utriusque moderator evasit; nec tamen diuturnus. Quandoquidem nimio, propter stuprum filiæ illatum, pudore ac dolore consternatus, habens Daniæ filio destinat Rolphoni adhuc minorenne, & filiam desponsat Ursam Atislo Hotebroti filio, Sueciamque novo assignat genero, velut magis legitimo illius hæredi. Ipsemet vero ad insulam incestu pollutam digressus, super proprio incubuit & occubuit gladio, ibidemque humatus.

XVI. ROLPHO, Princeps miræ proceritatis & liberalitatis, qui regiminis primordio Rutam despondit sororem uni principum Danicorum, Agnero; Quam tamen deinceps fuit conjugem adeptus Biarco, pugilum Scondicorum fortissimus; ipsa nuptiarum solennitate Agnero virginis sponso trucidato. Postea verò suasu matris doloso, in Sueciam profectus, illam cum immensis vitrici thesauris in Dianam fraudulententer abduxit, quos Atislus, bellis saepius privigno illatis, frustra repetivit. Hic filiam ex Ursâ suscepit Schuldam, quæ Hiortvaro nupta principi, Rolphonis in Sconia vasallo, irrogatum parenti furtum, & matris raptum, decrevit vindicare, maritumque ab illa conditione beneficiaria & tributaria liberare. Quamobrem Schulda, simul etiam à patre instigata Atislo, & roborata, suadet identidem Hiortvaro, fratrem astu quopiam Rolphonem quantocytus perimendum, illeque hinc persuasus, tributa simulat ex Sconia in Sielandiam se transportaturum, horumque loco classem armis, militeque onerat. Sub Lethram vero Daniæ regiam delatus, hospitio & convivio, ceu prægrandes apportans census, excipitur lautissimis. Verum advenæ cædem tyranni tacito secum animo machinantes, ebrietatem callide devitant, ipsaque Rolphonem cum stipatoribus videntes obrutum, arma corripiunt in doliis latentia, & Danos invadunt, quos cum rege obtruncârunt. Quâ Hiortvarus, minus tamen honeste, potitus victoriâ, Dianam subjicit, nec diutius illam retinet, quam paradiſo fuit moratus protoplastus; Siquidem Viggo quidam solus ex Rolphonis servitoribus superstes, juramenti memor, quo sancte domino quondam spopondisset, si contingeret ferro ipsum occumbere, regiam se vindicaturum internecionem, dum fidelia novo regi super districto, pro consuetudine Scondianorum, gladio, promissurus esset obsequia, obversum recusans mucronem, postulat capulum sibi tradendum; Huncque noctus, porrigentem mox Hiortvarum transfodit, ac exemplò ipsemet à satellitibus Hiortvari transfusus, simul occubuit. Quantum porro lætitiae Atislo, Sueonum regicædes attulit Rolphonis, tantum profecto mœstitiæ interitus Hiortvari, generi plurimum dilecti eidem conciliavit.

XVII. HACHO, ut reor, frater Hiortvari germanus, orbum protinus capessit Daniæ sceptrum, & Nannam deperiens Gevari filiam regis Norvegici, Hothero corrivali, filio Hothebroti, multum negotii faceſſit. Plus tamen ipsemet passus fuit molestiæ; siquidem Hotherus virginem sibi dum promissam Hachoni erepturus, ope socii & Atisli fratris cum illo pugnavit, adversarioque fugato, Nannam sibi copulavit. Deinde confidens jure Dianam potiori ad se, velut legitimum Hotebroti filium, quam

Hacho-

Hachonem pertinere, æmulo adhuc latitante, conflictumque propter numerum trepidante, viætrici properat classe in portum Sielandiæ, Isoram; ubi à confluentibus undique regni ordinibus, hostemque tantum metuentibus, rex designatur Danorum, & post temporis paululum, etiam Suecorum, Gothorumque. Sub idem namque tempus, Hotherus obitu fratri Atili cognito, inde patriam festinus acceſſit, & regia Sueciæ insignia ſimul capeſſit. Interea verò latebras Hacho deserens, Hothero Daniam eripuit, ipsamque recuperare conanti audacter congressus, victoriam obtinuit. Hostis autem in Jutia per brumam delituit, indeque Hotherus initio veris in Sueciam regreſſus, & novo ibi exercitu quantocyuſ compaſſato, in Daniam reverſus, Hachonem regno, ipſāmetque vita ſpoliare non dubitavit.

XVIII. FRIDLEVUS, regiâ dubio procul familia Danorum oriundus, filia Rolphonis in matrimonium aſcita, in absentia Hotheri ſe pro regni domino etiam venditavit; Quem Suecus peregrè in Daniam reverſus, inde haud diſſiculter exturbavit, & tandem proſtravit.

XIX. HOTHERUS, qui propter mirificas animi, corporisque dotes, hominibus, quibus cum conversaretur, fuit charifſimus, & potiſſimum Gevaro Noricorum regi ſuo educatori, filiæque hujus Nannæ virginum pulcherrimæ. Cum vero adoleviſſet Hotherus, & quadam vice propinquum luſtraret nemus, incidit, ut ipſi videbatur, in domicilium fatalium Dearum admirabile, ibique de ſua edoctus fortuna, Gevarum adiit, & ipſi viſione maniſtata, Nannam ſibi poſtulat uxorem. Conſenſit Gevarus, & futuro pandidit genero tantæ virtutis enſem, in aedibus cuiuſdam Mimini aſſervatum, ut illo hostium quoſlibet liceret proſternere. Hujus igitur captus deſiderio Hotherus, per ſumma vitæ diſcrimina illum Mimingo eripuit, nemorum satyro, & pertinacifſimo iſtiuſ acinacis competitorē Saxōnum rege profligato, retinuit; Cujus multa & occulta fretus dote, Hachoni prævaluit; Nannam ſibimet, atqui Thoram, Finlandi regis filiam, Helgoni Norvegiæ principi obtinuit; Daniam Sueciæ conjuṇxit; regionesque orientis ſimul adjunxit. Quarum denique inhabitatores, langueſcente gladii virtute, rebellarunt. Hos propterea inuadit Hotherus, & ibi rex prætantifſimus cadit. Iſta eſt ſuccincta Hotheri historia, quam Saxo copiosius & fabulosius contexuit; præcipue tamē hallucinatur, quod Thorum, Othinum, Froyerum ſeu Fro, & Balderum, prifca Scondianorum numina, hoc afferat tempore in vivis extiſſe; Hotherum cum Lothero, ſub quo illorum vixerant plerique, turpiſſime confundens. Verum quod impressa Saxonis historia, non vetus manuſcripta, memorat hoc loco primariam numinum Scondicorum ſedem, iſto viguiſſe ſeculo Bizantii, non vitio eſt Saxoni vertendum, aſt Christierno Petri. Is namquæ Chronicon illud primus typis publicaturus, pro Uſſalia, inferuit Bizantium, Sueonum invidens gloriæ, quam inde vide-rentur aſſequi, quod præcipiuſ olim cultus in Scondia idolorum floruiſſet Uſſaliæ; ſicut etiam ſuam manifeſte prodens malitiam & inſcitiam, cum nemo Historicorum Bizantinorum hujusmodi faciat numinum mentionem; Prout neque Albertus Crantius legitimate manuſcriptum ſecutus exemplar, non impressum, à quo ſeduētus Johannes Gothus, quanquam in hujusmodi rebus alias Argo videatur oculatior, illum quoque errorem in historiam Scondiæ imprudenter, quemadmodum Christiernus impudenter, invexit; ſicut in censura historiæ Scondianæ ſum luculenter evidenterque poſtmodum comprobaturus.

XX. RORICUS, Hothero patre vivo, Sueciæ Daniæque rex deſignatus, & illo vivis ſublato, conſirmatus, paternam inprimis mortem

vindicare, & Russos, Finnos, Slavos, Curlandoſque perdomare decrevit. Itaque cum plurimis armatorum millibus orientales invadit regiones, & harum incolis probè mulctatis, denuoque subjugatis, in Slavos signa convertit victoriosa; Qui de hostium præmoniti adventu, agmine illos tripartito aggredi moliuntur, binis occultatis, unum ostentando. Nec Scondios infidæ latuerunt, qui propterea dolum dolo, velut clavum clavo, depulsuri, suum disposuerunt similiter exercitum, & latentibus hostium cōpiis obtritis, reliquas accesserunt. Iſtæ autem sociorum ignorantes agminum cladem, Scondiis magnoperè insultarunt, victoram compendio reportaturi, hostium fortissimos ad duellum provocarunt, unoque illorum prostrato, sibi palmam arrogarunt. Sed tandem Ubbo, pugilum bellacissimus Scondicorum, athletam Slavorum prostravit audacissimum, cuius occasu, sicut etiam cohortium interitu infidiosarum, nunc primum cognito, Slavi animis consternati, Scondiis vietas porrigunt dexteræ, solitaqne Rorico promittunt vectigalia. Hinc vero in Daniam cum triumpho reversus, Gervendillo, Jutiæ regulo, hujus filium substiruit Horvendillum, quem etiam generum postea delegit, & suum in Dania proregem, quod princeps esset illustrissimus, ac heroicis facinoribus clarissimus. Ipsemēt porro Roricus, vitæ reliquum in Suecia tranquillè transegit, Daniæ gubernaculo sub tributis, Horvendillo & Feugoni regibus, permisso.

XXI. HORVENDILLUS, qui triennio insignem navans operam piraticæ, celeberrimum sibi nomen in Scondia comparavit; Quam illi gloriam Collerus Norvegiæ rex prærepturus, instruētissima Horvendillum classe persequitur, quem ille monomachiā prostravit, ex pactoqne splendide tumulavit, ac fororem deinde Colleri, Selam, piraticæ simul deditam, bello superatam navalı, obtruncavit. His aliisque terra & mari rebus præclare admodum gestis, locupletissimus domum revertitur, & nobiliori prædarum portione Roricus ab illo donatus, muneraque & facinora Hörvendilli summoperè admiratus, ipsum Gerutæ conjugio filiæ, ac Daniæ throno dignissimum, ut præfatus sum, judicavit. Quocirca vectigalem nactus Daniam, & Gerutam simul conjugalem, indeque filium Ambletum, longe magis inclarescebat. Fraternis autem invidens successibus Feugo, ipsum dolo peremit, & Gerutâ sibi copulatâ, gener atque vasallus Rorici similiter evasit.

XXII. FEUGO, alter Gervendilli filius, ita fratre per summum scelus necato, regnum & conjugem adipiscitur: Sed veritus ne illud sibi privignus, progressu temporis, eriperet Ambletus, ipsum quoque morti destinat; Quam simulatâ callide insaniâ, ineptum se regimini demonstrans, subterfugit. Nec etiam domi audens patrius illum neci tradere, regi Anglorum destinat perdendum. Atqui prudentia quadam singulari has pariter illusit infidias, & primum Angli filiam, ac postea Scotti, repudiatâ priori, nanciscitur conjuges. Proinde sociorum, affinium & amicorum subsilio adjutus, impium aggreditur vitricum, ipsoque flammis absumpto, Jutiæ dominium assequitur.

XXIII. AMBLETUS, Rorici nepos ex Geruta, Juthiæ non contentus peninsulâ, totum Daniæ imperium affectat. Proinde Vicletus, qui vitâ functo nuper Rorico patre, sceptrum fuerat Daniæ consecutus, Ambletum sæpenumerò in ordinum conventu ambitionis accusavit, & molitione haud supersedentem, denique impugnavit; Ac fraude Sconici præfecti, cum hoste clanculum colludentis, fugatus, bellum protinus restaurat, in quo Ambletus occubuit, victorie uxoris Hermitruda, contra fidem conjugi mortuo prius datam, nupsit.

XXIV. VICLETUS, Ambleti avunculus, & frater Atisli, Sueonibus dominantis, sublato regni æmulo, diuturnum & pacificum habuit Daniae regimen, ac interim filium genuit Vermundum, tandemque morbo interiit naturali.

XXV. VERMUNDUS, qui Sconiaæ ac Sielandiæ acquiescens dominio, Jutiam Frovino, multis conspicuo facinoribus heroi, deputavit. Erat autem Frovino, præter Vigonem & Ketonem filios, venuſta admodum filia, quam ideo Vermundus Ubboni filio minorenni obtinuit sponsam, ut siquidem ipsemet imbellis videretur, affinitatis jure à leviris progressu temporis, subsidium, ingruente necessitate, impetraret. Frovinus etiam hac audacior factus cum Dano affinitate, oceanum infestat, & sine respectu, obvios quoslibet opibus spoliatos molestat, nec Suecis & Gothis parcendum judicans. Hinc meritò indignatus Sueonum Rex Atislus, Jutos prædationis hujusmodi omittendæ frustra sæpius admonuit, & tandem armis ipsos aggressus, strato Frovino, exercituque hujus fugato, piratas perdomuit. Post redditum verò patrui, Vermundus Slesvicensem contulit centuriatum (quem Atislus Sueciæ voluit subiectum) liberis Frovini, & inaudiens Suecum propterea novum moliri bellum in Jutos, his copias suppeditat auxiliares, à quibus adveniens illuc Atislus, subito fugatus, in Sueciā revertitur. Itaque subverens Vermundus, nè potentior multò regressus, Daniam subjugaret universam, per Frovini filios in Sueciā expeditos, illum fraudulenter usurâ vitæ privavit. Deinde post multam temporis intercapedinem, intelligens Saxonum princeps Vermundum, ob ætatem ac cæcitatem, bellis minus idoneum gerendis, nec Uffoni regis filio quicquam animositatis inesse arbitrans, utrique cæpit insultare; Daniæ sceptrum affectare, missisque illuc legatis, de ipso se paratum dimicare significat, & Uffonem provocat, secum monomachiâ de imperio Daniæ pugnaturum. Nec ille certamen detrectans, Saxonique congreſsus, ipsum & commilitonem insigni fortitudine exanimavit; ita Saxonum mulctans arrogantiam, & patriam à jugo illorum liberans.

XXVI. UFFO, qui nullam bonæ indolis spem in adolescentiâ præbebat, naturam postea, regiis prorsus decoratam virtutibus, ostendebat, partâque de Saxonibus victoriâ, secundum patris obitum, Daniam, Saxoniamque capeſſit regendas.

XXVII. DAN, Uffone indignus parente; Ab eo siquidem degenerans, mentis elationi ac ventris curationi, opumque paternarum dilapidationi fuerat ſolum mancipatus.

XXVIII. HUGLETUS, fratri successit in Dania, & cum Hogmoto, Hogrinioque Sueonum regibus, bellum navale geſſit, ac ipsos oppreſſit.

XXIX. FROTO, cognomine Robustus, quod excellenti corporis, animique foret præditus fortitudine: Nam denos Norvegiæ principes, athletico armatos robore, in primis devicit. Postea ipſi congressus Norvegiæ regi Frogero, non prius illum proſternit, quam pulverem, antagonistæ vestigiis impressum, manu contrectasset; Quandoquidem beneficio Deorum, vel potius diabolorum, ea gauderet Frogerus immunitate, quod à nemine poſſet occidi, niſi qui certaminis tempore, locoque, ſubiectum pedibus suis pulverem, manu convulfiffet, quod fraude Danus executus, adversarium cecidit.

XXX. DAN, Frotone genitus, qui XII ætatis anno clavum natus Daniæ, hujusmodi Saxonum moleſtatur petulantiâ, jugum Daniæ detrectantium, & juvenem contemnentium principem, cuiusmodi antea Vermundus; Ideoque regni proceres, bello contumacibus illato, ad pristinam illos obœdientiam compulerunt.

XXXI. FRIDLEVUS, inclyta Dani soboles, cuius auxilio Huyrillus, princeps Hallandiæ, fretus, Rusilam, dominam Norvegiæ, feliciter impugnavit. Itaque Norvega de Fridlevo, hostibus opitulante, vindictam sumptura, pace cum Huyrvillo, & fœdere in Danos constitutis, Sielandiam populatur, à Fridlevoque protinus, cum insignibus copiis advolante, profligatur. Deinde pacatis domi rebus, & probè ordinatis, Danus foras progressus, Hyberniam infestat, captumque Dufflinum, urbem ibi primariam, immensis spoliat opibus, ac demum effusus in Britaniam, ab incolis cum prægrandi suorum clade militum excipitur; Quorum tamen evasit impetum, mirâ quadam astutiâ, & reversus in patriam, ibi moritur.

XXXII. FROTO, qui septennis paternum Daniæ imperium adeptus est, sub XII adolescentiam tutoribus, regnique gubernatoribus transedit; Horum vero primarii, Vestmarus & Colo, XV habuerunt filios, qui nimiâ sub rege puero licentiâ, & parentum connivenientiâ, in omni flagitiorum genere adoleverunt, & ipsum quoque Frotonem coætaneum, pervermis simul moribus imbutum, summopere corruperunt. Hic postquam annos, conjugio idoneos, attigisset, tutorum consilio, Hannundam, regis Hunnorum in Russia filiam, sibi conjugem asciverat, quæ Fridlevum illi genuit. Secundum porro regis nuptias, præfati tutorum filii, præcipuis in aula officiis ornati, pravis Frotonem consiliis seduxerunt, nullam juris & æqui rationem habuerunt, quod libuit, iis licuit; quorum senior Grep nominatus, toro etiam regis poluto, sororem hujus Gunvaram, expectit uxorem. Ideoque ne alius eâ potiretur, non paucos ipsius procos illustrissimos, astu peremit, sedulò invigilans, ne ullus regis ad colloquium permitteretur, qui turpissimum aulæ statum, & miserrimam regni totius ipsi manifestaret conditionem.

Synchronous erat Frotoni Gotharus, Norvegiæ monarcha florentissimus, qui subaudiens, Danis invisum esse Frotonis dominium, ipsi clavum regni statuit eripere; Prius tamen Dani potentiam exploraturus, Ericum & Rollerum fratres, Regnero natos, pugile in Norvegia perillustri, prudentissimos, disertissimos & pugnacissimos juvenes in Daniam ablegavit. Qui difficuler ad regis permitti colloquium, sua mox prudentiâ ac eloquentiâ sibi Frotonem conciliarunt; illam nebulonum colluviem, partim verbis, partim verberibus superatam, extirparunt; reginæ adulterium prodiderunt, & tandem intelligentes, se propterea morti destinatos, classe regis perforata, indè profugerunt. Ipsos autem Froto persequens, pertrebrato submergitur navgio, & ab Erico, Rollerquo, in aquas subito desipientibus, periculo ereptus, incolumis littori restituitur. Quam Froto benevolentiam ab hostibus suscepitam demiratus, ipsis præter amplissimos in regno centurionatus, proximum sibi dignitatis gradum assignavit, Gunvarum Erico sororem, & suam Rolleru conjugem Hannundam, desponsavit.

Istorum deinde consilio & auxilio heroum, pristinæ restituit Froto patriam dignitati; consuluit æquitati, & bellorum inclaruit celebritate, adeò ut de illis, ac potissimum Erico, illud Ennii, jure Danus pronunciaret, modice tamen immutatum: Unus homo nobis suadendo restituit rem. Nam primò in Norvegiam expediti, filiam Gothari, cum maximis vitæ periculis, suo domino luxorem adduxerunt. Alteram deinde operam, nec minus fidelem, Frotoni præstiterunt, in domanda Slavorum insolentiâ, his in debita continendas obœdientia, legibusque ibidem & in Dania æquissimis promulgandis. Ex Slavia porro reversum oppugnat Frotonem Gotharus, extorto filiæ matrimonio impulsus, ipsoque industriâ Erici necato, Danus fratrem hujus Rollerum, ad Norvegiæ promovit solium. Interea Hunnorum rex, filiæ offensus repudio, horribile Frotoni bellum denunciat; quod non de-

trecentans, post conflictum, septiduo celebratum, Erici prudentiâ, incredibilem obtinuit victoriam, & potissimis hostium prostratis, aut fugatis, CLXX regulorum sibi dominia submisisse perhibetur.

Tanto itaque Frotonis successu, Gestiblindus Gothorum rex instigatus, ab illo postulat suppetias in Alricum, Sueciæ regem, Gothiæ inhiantem, & obtento cum subsidio Ericus, Gothis adjuncto, in hostem profectus est, ipsum prosternit, præmiique loco Sueciam in primis, & deinde Gothiam, regna Scondiæ potentissima, merito impetrat. Nec istic Norvegi victoriis territi Frotonis ac Erici, Rollero se contumaciores præbuerunt; Qui propterea Suecorum & Danorum armis denuò perdomiti, constantem Rollero subjectionem spöonderunt. In his præliorum conflictibus, insignem Froto expertus fortitudinem cujusdam Arngrimi, pugilis nobilissimi, & præsertim in debellatione Biarmensium. Ideo Erici regis intercessione, Osuram ipsi filiam dedit in matrimonium; Inde XII natus est Froto nepotes, re bellica clarissimos, quorum postea cædem, à quibusdam Britanniæ piratis in Oceano perpetrata, vindicaturus, plurimo Britanniam cumulavit detimento, Hyberniamque simul propinquam, & tandem reversus in Daniam, XXX annis habuisse pacem memoratur.

Verum quod asseveret Saxo Danorum historicus, Christum æternæ pacis authorem, naturâ hominum assumptâ, interim in Bethlehem Judææ natum esse, magnoperè fallitur, & plurimos hactenus Scondiæ fecellit scriptores; utpote qui falsissima hujusmodi æra seducti, minus veros temporum calculos, nostrati pañim historiæ adnotarunt. Alteram quoque iisdem hallucinandi præbuit Saxo occasionem, Longobardorum statuendo hinc egressionem sub Snione, quæ dudum antea contigisset; Sed tertiam in computu temporum signando, & legitimo regum catalogo investigando, illi ansam exorbitandi eminus à veritatis semita præbuerunt, qui Danum, rerum in Vitia potitus, ante Christi natalem MCC XLVII, mendacissimè posteris tradiderunt, cum penultimo circiter ante Christum seculo, in Dania sit ille dominatus. Quod plerique Scondiæ chronographi ignorantes, ponderata temporis diuturnitate, & regum interea dominantium paucitate, non paucos principum in catalogis desiderari crediderunt; Ideoque horum nonnulli, talem compensaturi secretò defecutum, plurimos suæ patriæ reges affinxerunt; prout alibi demonstrandum est, & modò ad Frotonis historiam remeandum. Qui postquam diutissimè juxta ac gloriosissimè, æquisimèque regnasset, à quadam malefica Jutia, in vaccam præstigiis transmutata, cornibus lethaliter impetus, occubuit.

XXXIII. HIARNO, qui licet obscuro esset admodum natus gene-re, hac tamen occasione sceptro fuit Daniæ potitus. Mortem Dani Frotonis triennio celarunt, ne obitu ipsius intellecto, nationes per illum subiectæ, jugum excuterent, antequam mortui regis filius, in Orientalibus militans regionibus, ad moderandum patriæ gubernaculum esset revocatus domum, Fridlevus. Ac præterea Froto interim, ceu vivus in hexaphero, non ut mortuus in feretro, cum majestate, velut antea fuit solitus, per regnum, caute tamen, circumgestabatur. Sed cum putridos nimis artus non possent diutius extra tumulum conservare, nec uspiam regionum valerent Fridlevum indagare, regiam promulgant mortem, funereque regaliter humato, orbum regni thronum illi promittunt, qui tumulum regis charissimi epitaphio decoraret excellentiore. Ista vero gavisus conditione Hiarno quidam, in poësi versatissimus Danica, epitaphium paucis comprehendit versibus, & regni gubernaculum ex pacto mox appræhendit, pro tantillo quidem labore, grande nimis referens præmium.

XXXIV. FRIDLEVUS, qui cognita serò parentis morte, indigna-
que

que Hiarni forte, ex legatis Haldani, Sueciæ imperantibus, & subsidium à Russorum principe, adversus Norvegum nimis insolentem flagitantis, in Haldani gratiam amitini, se auxiliaris à Russo protinus missi exercitus præbuit ductorem. Has itaque copias in hosticum inde perductas, fortissimis Sueonum agminibus conjungit, à quibus Norvegi, cum insigni occurrentes quoque potentia, superati, fugam certatim arripiunt, & illorum primarii, refugio in arce quadam captato munitissima, inde crebro in Sueciam Gothiamque excurrunt, incolasque crudeliter diripiunt. Ideoque hostem inde profligaturus, obsidet castrum Haldanus, quod Fridlevus tandem admirabili occupatum fortitudine, præsidio illic jugulato, inflammavit, soloque adæquavit. Haldanus autem Norvegis domitis, Fridlevo gratiam pro tantis repensurus beneficiis promeritam, suam illi vicissim pollicetur opem, summopere hanc obsecranti, in subjiciendo Daniæ regno.

Tanto igitur promisso Fridlevus animatus, expeditis in patriam legatis, suum Danis, redditum significat, & regni sceptrum flagitat. Quod Hiarno præcise abnuens resignare, Daniæ populo, sibi ob generis æqualitatem, humilitatemque magnopere propenso, quantocytus attracto, partum throni honorem, armis se paratum defendere asseverat. Quocirca Fridlevus, hujusmodi nactus responsum, adversario congreditur, & ipso bis fugato, sceptrum patriæ nanescitur. Dolo autem illud Hiarno recuperatus, cum bello nullatenus posset, incognitus autem deinde petit regiam, ut Fridlevum oblata perimeret occasione, regimenque denuo invaderet. Atqui mox proditus, à rege monomachia excipitur, & occiditur. Ita æmulo sublato, & regno Daniæ pacato, Fridlevus, uxoris cupidus ducendæ, Frogertam Amundi filiam, regis Norvegici, per legatos consortem postulat. Verum ob suam in Norvegos nuperam, & veterem patris tyrannidem, passus repulsam, cædeque insuper legatorum ibi perpetrata, exasperatus, Norvegum auxilio Sueonum impugnat, & illo in pugna perempto, virginem haud difficulter obtinet, prolemque ex illa clarissimam suscipit deinceps Frotensem. Porro condolens amitino, Sueciæ regi, Haldano adhuc cælibi, venustissimam Hithini reguli filiam illi persuasit ducendam.

XXXV. FROTO, tantis animi corporisque dotibus excelluit, ut his non parentem modo Fridlevum, & quotquot ante ipsum Daniæ sceptrum tenuissent majores, adæquare, sed plurimum superare videretur. Liberalitate autem fuit potissimum conspicuus, à qua Munifici obtinuit cognomentum.

Cæterum duodennis solum extitit, quando secundum parentis mortem, clavo regni admovebatur gubernando. Unde Saxones, puer rege contempto, palam illi cæperunt rebellare; Quos propterea tutorum consilio, auxilioque invadit, & illis denuò subjugatis, cuique Saxonum capitulum imponit quotannis pendendum. Id vero cum aliquandiu tributum impatientibus solvissent animis, & interea Hamam, viribus formidabilem nacti essent agonothetam, hunc pro patriæ, adversus Frotensem paratum, libertate, duello certare Danis significarunt. Verum isti hominem plebejum, rege indignum antagonistæ, considerantes, Starcaterum Hamæ objiciunt adversarium, illoque protinus obtruncato, Danus solito gravius rebelles mulctavit, summo statuens rigore, ut Saxones pro cubitalium membrorum quolibet, annum dependerent sibi vectigal. Itaque Hanevus, optimatum quidam, patriæ misertus, Saxones ad arma convocat, quibus Frotus congressus, duce factionis cæso, rebelles ad obcedientiam revocat. Nec ausi deinceps Saxones Danicæ jugum servitutis moliri palam excutere, sed clam id perfecturi commodius insidiis, has reguli arbitrio committunt Suertingi, velut præcipuo earum fabro; Qui non aliter quam proprio

se patriam exitio liberare posse animadvertisens, velut alter Samson, tyrannum cum præcipuis Danorum proceribus convivam adhibet, & compotatores vino solutos, flammis triclinio subditis, unā secum consumit.

XXXVI. INGELLUS, in regiis successit parenti honoribus, non moribus; Siquidem totus ventri & veneri deditus, sui muneric neglit exer-
citia. Quod aversatus vitæ genus Starcoter, desertâ Ingelli aulâ, Haldanum Sueciæ regem, heroicis intentum studiis, accedit; Ubi non multò post tempore resciens Helgam, Frotonis natam, fraterna corruptam conver-
tione, solis culinæ nidoribus, & cujusdam aurifabri mancipatam amori-
bus, Daniam repetit, concubinoque Helgæ mulctato, in Sueciam festi-
nus remeat.

Helgo autem Norvegiæ Rex, præfatam Helgæ labeculam igno-
rans, illius conjugium expetit, & consensum ea obtinet lege, ut Angate-
rum, Ducis in Sielandia filium, viribus insignem, ejusdem quoque viragi-
nis competitorem, duello in primis superaret. Nec cum ipso detrectat Hel-
go congressum, sed octonis illum fratribus stipatum, intelligens pugnatu-
rum, suasu sponsæ, Starcoterum ex Suecia sibi advocat commilitonem.
Qui tamen solus adversarios aggressus, ipsos, gravibus acceptis vulneri-
bus obtruncavit, securisque ita Helgoni nuptiis procuratis, Sueciam ver-
sus, festinaverat.

Hactenus porro Suertingi VII filii, magnopere subverentes, ne pa-
ternum Ingellus ulcisceretur interitum, ut sua in matrimonium foro-
re accepta, offensam condonaret, vehementer laborarunt, ac demum
voti compotes facti, primarios à fororio in Dania honores simul impe-
trarunt, regiamque exotico turpiter luxu magis contaminarunt. Hac
vero perculsus fama Starcoterus, summopere indignatur, quod paterni
liberos interfectoris, tanto Ingellus amore ac honore dignaretur, & præ-
grandi oneratus carbonum sarcina, Daniam versus peregrinatur. Inter-
rogatus ab obviis, quid cum carbonibus esset facturus? hebetem & iner-
tem Ingelli animum se exacuturum respondit. Nec promissis defuit; Si-
quidem ad regem perveniens, compotationi cum leviris indulgentem,
prolixaque increpitum oratione, tantum commovit, ut furens, fremensque
ex symposio Ingellus surgeret, & VII Suertingi filios, auxilio nixus Star-
coteri, occideret. Qui progressu ætatis tandem morte stratus natura-
li, propè Letram Daniæ regiam, sepulchrum obtinuit.

XXXVII. OLAVUS, hæreditaria quadam successione parenti sub-
stitutus, genuit ex Alloga conjuge Frotonem & Haraldum. Moriturus au-
tem Olavus, filios inter eo divisit pacto imperium, ut annua vicissitu-
dine, non diutina usurpatione, alter terris, alter mari dominaretur, &
opibus ex piratica cumulatis, hic frueretur.

XXXVIII. HARALDUS, ex defuncti ordinatione parentis, terra-
rum suscipit gubernationem, & Froto maritimam nactus dominationem,
quod conjugato uteretur milite, majorem rei uxoriæ, quam victoriae
curam gerente, piraticam minus egit lucrosam & gloriosam. Haraldus
vero pelagi sortitus postea regimen, & infortunio fratris admonitus,
cælibe delecto milite, permultam nominis excellentiam, & opum frequen-
tiam ex piratica reportavit. Quocirca Froto vehementer indignatus, quod
senior juniorem non adæquaret fratrem rebus gestis, multo minus supe-
raret, tacito ipsum odio persequitur. Ut autem illustri quopiam conju-
gio, fibimet in fratrem compararet subsidium, Alvildam, Sivardi Sueo-
num regis filiam, ascivit uxorem. Nec istam ignorans fraudem Haral-
dus, Signem dicit conjugem, Caroli Gothiæ dominantis filiam, ut foce-
ri etiam frueretur in necessitate contra fratrem auxilio. Infestus por-

ro fuit Sivardus Carolo, quod ipsum Gothi, à Suecis nuper deficiētes, regem designassent, indeque discordes illorum filiæ, gliscens inter maritos odii hacētūs incendium, tantopere inflammārunt, & præser-tim Ulvilda, ut Froto Haraldum, submissō clam percussore, necaverit, atque ne sceleris ille argueretur, ipsemēt sicarium occultē trucidaverit.

XXXIX. FROTO, totius ita Daniæ potitus imperio, ut se necis suspectum fraternalē excusaret, in hujus authorem fraudulenter inquirit. Verūm comperiens, scelus Danis luculenter innotuisse, velut etiam ipsi Carolo Gothorum regi, socero Haldani, ac vindictam inde perti-mescens, illum quoque per insidias de vita sustulit. Deinde minorennēs Haraldi filios, Haldanum & Haraldum, morti quoque destinat, ne parentis avique, progressū temporis, ulciscerentur interitum; Quam tamen insigni tutorum prudentia evaferunt, illos à lupis devoratos asseverantum, secre-tōque orphanos educantum. Atque cum Froto, sagae cuiusdam opera, illos cognovisset superstites, & deinceps perfidia quorundam intellexisset proditorum, ubi locorum commorarentur, Reginon educatorum prima-rius, tyranno factus supplex, obsecrat ne insontem profunderet sanguinem, & jure promittit jurando, ipsos sceptrum non affectaturos, vel si quidquam essent machinati seditionis, se quantocytus regi significaturum.

Tanto igitur principes periculo subducti, securius adoleverunt, quando intelligens Reginon, clientes struere insidias Frotoni, has ipsi prodidit. Haldanus autem & Haraldus, patruum opinione citius cum potentia ad-ventantem delusuri, simulant insanientium, non sapientium suas esse mo-litiones, & Froto minus decorum sibi cum fatuis fore bellum confide-rans, arma deponit. Hinc illi spaciū naēti exercitum congregandi, patruum inopinatē aggrediuntur, & compræhensam inprimis Ulvildam, ceu malorum omnium Pandoram, saxis obruunt, ac regem deinceps in quodam latitantem arcis recessu, igne, fumoque pro meritis perimunt.

XL. HALDANUS, vindicata parentis, avique morte, orbūm Da-niæ gubernaculum capeſſit moderandum; sed inaudiens Ericum, Fro-to-nis & Ulvildæ filium, apud maternū in Suecia morari avum, Sivar-dum, bellumque patriæ machinari, Daniā fratri commissa Haraldo, Sueoniā cœpit infestare.

XLI. HARALDUS, à quo Haldanus auxiliaribus identidem co-piis adjutus, gravior Sueonibus imminet; Unde Sivardus contra hostem progressus, armis Danorum & Gothorum, Haldano etiam faventium, proflernitur. Ericus autem mox avo subrogatus materno, bellum restau-rat, & patrueli congressus Haldano, bino ipsum conflictu profligat. Nec tamen ex Suecia illum valens ejicerē, ut audita patriæ vastatione, Sueiam desereret, Daniā invadit. A quo etiam Haraldus occurrens, ter profligā-tus, fratris implorat auxilium, & interea quartō cum Sueonibus dimi-cans, occumbit. Reditu Ericus Haldani cognito, Sueiam hostibus va-cuam repetit; Quem post temporis paululum insecutus Haldanus, ipsum ad maritimum provocat conflictum, in quo fraudulenter Ericus ab hoste ca-ptus, bestiis objicitur dilacerandus, & Haldanus utriusque suscipit regni gubernationem.

XLII. UNGUINUS, fratre natus Haldani Haraldo, post Carolum parentis avum maternū, à Gothis primum rex designatur. Deinde pa-truo vita funēto, Haldano, etiam Daniæ sceptrum adeptus, huic Sueti-cum adjunixerat; Amundus verò Haldani filius, Norvegicum avi ma-terni thronum occupavit. Verūm Sueones jugi non patientes Danici, Un-guino repudiato, regni axioma Regnaldo, Suetica regum profapia descen-denti, porrexerunt. Quorum Unguinus defectionem conatus multare, per

æmulum bello excipitur Regnaldum, occiditurque, mortis suæ ultiōnem filio linquens Sivaldo.

XLIII. SIVALDUS, qui dudum conjugem adeptus Svartam, liberos ex illa consequitur, Sigarum & Syritam, hæcque tantæ fuit pudicitiaæ ac verecundiæ, ut nunquam vultu paululum sublato, virum intueri, multò minus cum aliquo virorum confabulari voluerit. Quamobrem edicto Sivaldus proposito, illi pollicetur filiæ amplexum, thalamumque, qui obtutu ipsius potiretur. Hunc autem vir quidam prælustris, nomine Otharus, miro consecutus est astu, virginem ex pacto etiam nanciscitur, & suam, socero nunc viduo, sororem largitur uxorem. Interea temporis, præfata Regnaldus victoria potitus, fugientes insequitur Danos, ipsique Sivaldus in Sielandia congregatur, ubi per triduum acerrimè confligitur, & tandem Othari potissimum fortitudine, Regnaldo corruente, Sueones fugam arripuerunt, horumque pugiles **XL** fortissimi, quos inter fuerat etiam Starcoterus. Nec securum in Sueciam redditum adepti, ad militiam se contulerunt Haconis Norvegi, unaque Britanniæ, velut horribilis tempestas, incubuerunt.

XLIV. SIGARUS, qui secundum fata parentis, ad solium Daniæ promotus, liberos produxit illustres, Sivaldum, Alphium, Algerum & Signem. Alphius vero reliquis formâ præstantior fratribus, Alvildam non minus pudicam, Sivardi Gothorum regis filiam, quam amita fuerat sua nuper Syrita, tori expetivit consortem. Sed cognoscens, se non potitum virgine, nisi prostratis primum immanissimis, illius conclave observantibus beluis, arduum & discriminibus plenum audacter opus aggreditur. Quod cum heroice admodum perpetrasset facinus, ad virginisque vita magis dilectæ, per horrendam belluarum cædem, penetraffset gynæcæum, Alvildæ conjugio dignus judicatur; Quæ facilem nimis illi præbens consensum, à matre levitatis accusatur. Unde Alvilda vehementius commota, nullius se unquam viri amplexibus inhæsuram devovet; Ideoque plurimis in commilitium virginibus extemplo contractis, non modica pelagus classe oberrans, haud inglorium multo tempore agit piratam.

Huic etiam deditus militiæ Alphius, Oceanum simul infestat, & quadam delatus vice fortuitò in eundem cum Alvilda portum, cum ipsa sibi prorsus ignota, primum acerrime dimicat, donec illam galeâ patefacta cognoscens, in ipsius rueret amplexum. Quæ in conjugem protinus ducta, Giuritam progenuit Alphio filiam, cuius deinceps progenies regiam in Dania prosapiam, interitui propinquam, gloriose restauravit. Porro festivitate nuptiarum transacta, Alphius cum fratribus in oceanum reversus, in cognatos incidit Amundi regis Norici filios, Helvinum, Haborem & Anundum, subortaque inter Danos & Norvegos discordiâ, funestum utrinque prælium exarsit, quod nox diremit. Postridie autem reconciliati, simul Daniam adeunt, ubi deprehendens Habor procum Signis, quandam ex Germania principem, nomine Hildegisleum, virginis præoccupat amore, & ipsam sibi clanculum despontat.

Post abitum inde Haboris, illud Hildegisleus intelligens paetum, ut hoc quantocytus discinderet, inter Haboris ibi remanentes, & Signis fratres, largam odii fementem callidissimè sparsit, istaque Dani provocati, Norvegos trucidarunt. Quem fratrum intelligens Habor interitum, festinus in Daniam advolat, & duellis Alphium, Algerumque obtruncat. Ast Hildegisleus natibus mutilatus, in patriam remeat. Habor etiam inde paulisper digressus, & modico post tempore, fœminea veste assumpta, reversus, tam constantem nihilominus Signem in pristino depræhendit amore, ut intimo ejus amplexu fuerit potitus.

Cæterum

Cæterum proditus Habor perfidiâ unius pedissequâ, tum comprædenditur, & velut regiæ proliis maëtator ac stuprator, actutum suspenditur. Signes autem ex condicto simul moritura, flammas gynæceo subjicit, & resti collum injicit, Haboremque vitâ chariorem, ad orcum infœsta comitatur. Quem ignominiosum fratri interitum, ubi Haco percepisset, omissa Hyberniorum impugnatione, in Daniam traduxit exercitum, à quo Sigarus inopinatè oppressus, cum ipso tamen congressus, occiditur.

XLV. SIGUALDUS, tertius Sigari filius, masculorum solus, ex regia Danorum familia superstes, vacuum morte parentis imperium Daniæ mox arripiens, hostibus crudelissimè in patria grassantibus se opposuit. Haco autem innumeram utriusque sexus multitudinem confluisse intelligens, metu concepto, discessu suis consuluit rebus maritimo. Sed unus commilitonum animosior, Haco etiam vocatus, cum reliqua copiarum parte remanens, Sigvaldum biduano excipit conflitu advenientem, in quo uterque ducum, cum plurimis hominum milibus, occubuit. Postera verò die Borcarus, Scanorum toparca, cum leetissimo superveniens equitatū, reliquias hostium delevit, & Danos victoriâ, haud tamen incurvantâ, decoravit. Deinde copioso vacuæ classi milite imposito, Haconem persequitur, hicque à Borcaro profligatus, ternis petit Scotiam naviis; ubi perbenigno suscepimus hospitio, illuc biennium fuit commoratus, ac morte demum sublatus, tumulatusque. Cujus obitu regia Noricorum prosapia finem omnis propemodum consequitur. Velut etiam in Dania, ubi mors Sigvaldi, masculum regiæ familiæ genus, ad unum cum Sigvaldo tumulum perduxerat; Fœmina tantum una fuit superstes Syrita, seu Giurita, cuius de progenie Haldanus quidam, post multum temporis, naëtus conjugem, regem procreavit Haraldum, cognomento Hildetan, & ita priscam, regiæ apud Danos familiæ, ab interitu eripuit progeniem.

Nec enim vero Saxonis narratio similis, Giuritam Alphii filiam, Haldano consortem deputantis, cum plures inter Sigaldi occasum, & Haldani dominium intercesserint anni, quam ut Giurita illis supervixisse potuerit, & nihilominus Haldano nupsisse, Haraldumque genuisse. Atque interea temporis XIII in Suecia reges, & non pauciores in Dania essent dominati, quorum plerique memorantur alienigenæ fuisse, Danisque crudeliter imperasse, usque tempora Haldani, qui Daniam à jugo Britannorum, Scotorum & Slavorum, potenter liberavit. Præterea, ut Saxonem porro hic convincam erroris, prius Haraldo Borcarum & Gro, postea Haldanum & Giuritam, parentes assignavit, ipsemet suum prodens paradoxum.

Verum ipso, cum figmentis omisso, quorum est valde fœcundus, ad Scoticam redeamus Haconis fugam, mortem & molitiones.

Enimvero ibi morans Haco, & de suo in patriam reditu desperans, Agnischelum Scotiæ, & famosum, imperiosumque Britanniæ regem, Arthurum ad Scondiæ forsitan instigavit subaëctionem. Qui hinc persuasi, post obitum Haconis, illi se accinxerunt, & cum immensa Scondios potentia aggressi, Danos, Gothos ac Norvegos subegerunt, diuque admodum subactos tenuerunt.

Quando Lothus, Arthuri contribulis, Norvegiæ dominium obtinuit. Contigit autem præfata Scondiæ subaëctio annum circiter CD LXXXVIII à Christi nativitate, per ARTHURUM XLVI Daniæ regem, & Anglis postea, Scotisque sensim ex Scondia profligatis, in ea Slavi, & aliæ nationum finitimæ imperium affectarunt, donec & his

incolæ prævalentes, indigenas sibi reges constituerint. Ac in primis quidem Norvegi, quorum regi Gunnarus Gothiæ princeps, gravibus de causis infestus Regnaldo, regnum hujus per summam impugnat tyrannidem, & ipso trucidato, id Gothiæ subjugat. Nec dominio contentus, gentem alias inclytam probro afficit, canem ipsi præficiens patilisper moderatorem. Ille met interea Regnaldi thesauro & filiæ intentus indagandæ, utroque potitur voto, Drotaque in matrimonium accepta, Hildegerum ex illa filium nanciscitur. Post modicum verò temporis, Borcarus Gothiæ quidam optimatum, cæso propter tyrannidem Gunnaro, Drotam sibi conjugem ascivit, istoque natus matrimonio Haldanus, de quo infra copiosior mihi sermo futurus est.

Nec Dania sub dominio alienigenarum nimis dilacerata, ad monarchicum, ut Norvegia & Gothia, mox statum valens redire, plures sibi regulos ex plebe deleatos, viros tamen regiis ornatos virtutibus, deputavit: Siquidem Sconi Ostmaro; Sielandi Hundingo; Fionenses Hanoni; Rorico Juti boreales, & Hathero australes, suæ regionis axioma ta tradiderint. Istam propter Daniæ partitionem, Ingo Sueonum rex, haud negligendam esse occasionem ratus, illius subjiciendæ, in Danos bellum molitur. De quo illi certiores facti, hosticum priores invadunt, Ingonesque ad tolerabiliores pacis conditiones impellunt. Interim Alverus Ingonis frater, Russiæ deditus oppugnationi, singularem Hildegislri operam experitur. Nec minorem Haldanus frater hujus uterinus hostium castra secutus, apud Russum fortitudinis gloriam promeruit; Utpote qui cum ignoto sibi fratre illic acerrimè congressus, ipsum obtruncat, frustra deinceps deploratum, & victoriæ Russis illustrem procurat.

Nec obscura tantæ fortitudinis Haldanus adolescens, edidit specimina; Siquidem in ætate hujus juvenili, cum Retho quidam ex Russia, Daniam piraticâ plurimum molestaret, & præcipue Fioniam, nec Hano moderator hujus, injuriam populo illatam vindicaret, Borcarus & Haldanus filius, Daniæ miserti, prædonibus congrederiuntur, victoriæque consequitur Haldanus Rethone occiso, non tamen incurvantem; Quandoquidem in hoc parentem amiserit conflictu, & ipsemet graviter vulneratus, inde discesserit.

Isto autem Haldanus militiæ tirocinio animatus; sicut etiam generis claritate materni non nihil elatus, quandam in Dania virginem Sigari regis ortam progenie, super matrimonio secum contrahendo, sollicitat, & consensum denique virginis eâ obtinet lege, ut heroicis prius inclaresceret magis facinoribus. Rescientes porro XII pugiles, virginei custodes domicilii, Haldanum in absentia sua colloquio virginis usum esse, ipsi summoperè irascuntur, & abeuntem insequeuntur. Quos ille aggressus, illico prosternit, istoque virginem facinore, sibi magis conciliavit.

Deinde Ruthenico perfunctus bello, ut præfati sumus, intelligit Sivarum, Saxoniam principem, virginis etiam connubio inhiare, ac extorto ab illa consensu, nuptias apparare. Proinde quantocuyus in Daniam reversus, ipsa nuptiarum festivitate, rivalem obtruncat, Sivarum, cum reliquis Saxonum, & sponsam jure pacti abducit, simulque Daniæ gubernationem sibi vendicat.

XLVII. HALDANUS, qui paternum ex Gothia, & maternum ex Norvegia genus ducens inclytum, beneficio uxoris clavum Daniæ, multis diu quassatum tempestatibus, & laceratum arripuit. Non tamen prima ipsi fuit cura regnum in corpus denuo unum redigendi, verum sobolis procreandæ. Itaque cum sterilitatis consortem vitio cognosceret obnoxiam, conciliandæ ipsi fœcunditatis gratia, oraculum adiit, consultique Upfalense, & monitus, ut parentaret fraternalis primum manibus, obtemperat

rat, ac filium postea Haraldum obtinet. Quocirca regni adeptus hæredem, Daniæ totius subactionem cœpit animo magis versare, machinarique, ac Sielandiam in primis subjugaturus, Hundingum ejus dominum adoritur, sed minus feliciter. Quandoquidem ibi ceciderit, & uxor habitu induita virili, pugnæ spectatrix, cum filio in humeros sublato, inde quam difficilima fuga evaserit.

XLVIII, HARALDUS, maternum ducens genus ab Alphio, Sigari regis filio, & patrem habens Haldanum, non paucis animi, corporisque fuit ornamentis conspicuus; Qui fertur illâ donatus ab Othino, vel potius diabulo, ipsi sub Othini forma sæpius apparente, & belligerandi modos demonstrante, prærogativâ fuisse, ut nullo effet telo vulnerabilis. Is secundum fata parentis, Daniæ potitus throno, immortalia illius facinora, vastissimæ cuidam in Blechingia rupi procurat insculpanda. Deinde paternam ulturus cædem, & patriam solitæ restituturus integritati, potestati que, Vesetum opprimit Haldani oppressorem, non tamen impune; Siquidem ille moribundus quosdam cæsori dentes excusserit, horumque loco postea flavi quidam suborti, Haraldo cognomen Hildetan, hoc est, Sam-bucini dentis, indiderunt.

Nec inde moratus reliquos Daniæ tyrannos aggreditur, & Ostmāro, Hündingo, Hanoni, Rorico & Hathero, regni provincias armis extorquet. Jorunderus autem Sveciæ, Gothiæque monarcha, Sconiam, Hallandiam & Blechingiam, simul ab Haraldo subactas, ad suum spectare dominium contendens, harum flagitat restitutionem, & iis non impetratis, Haraldo bellum denunciat. Danus propriis diffisus viribus, regem Norvegiæ, quem Jorundero noverat etiam infestum, ob consumtum suspendio nuper parentem, deligit auxiliarem. Quibus nihilominus audacter Jorunderus congressus, obtentâ victoriâ, provincias recuperat, & sororem Haraldi, violenter ex hostico abductam, sibi matrimonio copulat, ex quo deinceps nascitur Haquinus connubio. Nec propterea Dani & Norvegi animum despondentes, bello renovato, Jorunderum acrius oppugnarunt, quos tamen ille nova profligatos clade superavit. Hostis proinde ad fraudes versus, cum Sueco dolose transigit, & redditum hinc securum promittens, in finu Jutiæ Limefiordensi, adversus jura, pactaque, sceleratè suspendit.

Ita infami Haraldus victoriâ potitus, Sconiam, Hallandiam & Blechingiam subjugat, atque tutelam Haquini regis in Suecia minorennes, sororeque geniti protinus sibi arrogat. Alteram vero Haraldi germanam habuit conjugem, Sivardus Norvegiæ regulus, quæ Olonem ipsi protulit filium, in aula educatum avunculi, miroque corporis robore ornatum.

Cæterum Haraldus pacem cum Suecis diutinam nactus, Olao Tronhemensium principi, à binis aliquandiu virginibus impugnato, Rusila & Sticla, opitulatur. Hisque debellatis, ab Asmundo Vichiæ domino, in subsidium quoque vocatur, adversus sororem ipsius sceptro inhiantem, quâ etiam devicta, quietum Asmundo tradit Vichiæ gubernaculum.

In absentia porro Haraldi, Ubbo Frisonum pirata Jutiam infestat, quem ideo rex armis adortus compræhendit, militarique Ubbonis compertâ fortitudine, suæ illum militiae adscripsit, libertate pristina, & sua donatum sorore.

Tantum itaque natus bellatorem, clades ulcisci statuit, quas finitimæ olim nationes Daniæ intulissent; Et in primis Rheni aggressus accolas, ipsos tributo submiserat Daniæ pendendo. Slavorum deinde plurimis subjugatis etiam provinciis, Aquitaniæ ac Britanniæ, velut sævissima incubuit tempestas, cumque alias diu occidentis regiones infestasset, cum celeberrimo in Daniam remeavit triumpho. Interea Haquinus Sueciæ rex adoleverat, & progressu temporis cum avunculo expostulans, de admis-
F 2 nistra-

nistrata male tutela, provinciis regno suo ablatis, ac parente olim perfidissimè strängulato, minus conveniens responsum acceperat. Quamobrem exacerbatis utrinque animis, horribile paratur bellum, à me in historia descriptum Suetica, in quo Haraldus occubuit, & Haquinus clarissimam ab hostibus victoriam obtinuit.

XLIX. HAQUINUS, cognomento Ring, parto hujusmodi ex Danis triumpho, potentissimus Sueciæ, Daniæ & Gothiæ monarcha evalerat, singulararemque Olonis consobrini operam, in hoc sibi prælio luculenter exhibitam, remuneratus, illi Sconiæ contulit præfecturam.

Nec minorem clarissimæ fortissimæque viraginis Hethæ, militarem expertus industriam, ipsi Sielandiam, Fioniam & Jutiam, sub annuo regendas tributo, Sueciæ pendendo, commisit. Ea sui tempore regiminis, illum fundavit in Jutia urbem, à nomine suo Hetebi, & postea Slesvicum appellatam.

Interim Sielandi probro sibi ducentes fœmineo subesse imperio, ab Haquino regem flagitant Olonem, & nec difficulter impetrant, cum suo tamē detimento.

L. OLO, nepos Haldani regis ex filia, princeps non tantum corporis nisu, sed ipso etiam visu formidabilis, qui transactis domi annis pueritiae, in avunculi aula ephœbiam fuerat emensus. In adolescentia verò sui specimen roboris editurus, Gunnem Thelemarchiæ tyrannum, latrociniis infamem, obtruncavit, & ætatis deinceps progressu, intelligens Scatum & Hialtum, insignes fortitudine palæstritas, Ola Vermelandiæ regulo tantopere insultare, ut Esam hujus filiam sub duelli comminatione flagitarent stuprandam, illuc contendit, initoque cum ipsis certamine, utrumque maestavit. Tanto autem victori filiam Olaus permisit lubens uxorem, quæ Oloni fuit Omundum enixa filium, parenti rebus gestis non inferiorem. Interea cognoscit Olo quandam in Norvegia regulum, Sivardo infestum parenti, & proinde relictis socii ædibus, Thoronem accessit, ipsumque fraudulenter oppressit; Qui moribundus vaticinatur percussori, fato ipsius simili occubitum, responditque vaticinio eventus.

Ad Haraldum postea reversus avunculum, maritimis præficitur excursionibus, & his invigilans, LXX oceani reges fertur interemisse. Nec dignum tantis præmium facinoribus ab Haraldo consecutus, ad consobrinum Sueciæ regem se contulit Haquinum. A quo, Daniam impugnato, navalibus præfetus cohortibus, tam insignem velut præfatus sum, illi operam navavit, ut post reportatam de hostibus victoriam, ipsum Haquinus amplissimis fertilissimisque Sconiæ regionibus donarit. Hetha porro Daniæ consequitur imperium, cuius parere dominio sibi probrosum existimantes Sielandi, Olonem ab Haquino impetrant regem, census quotannis Sueco pensurum. Itaque Olo Daniæ adeptus gubernaculum, Jutiam Hethæ sub tributo permisit, & horrenda passim scelera commisit, quibus regni optimates magnopere offensi, conducto postmodum sicario, tyrannum balneis utentem regno & vitâ spolarunt.

LI. OMUNDUS, sceptrum Daniæ nihilominus fortitus, laudabilia parentis gesta superare, non solum adæquare, citra tyrannidem, conabatur. Illustrem porro virginem Esam, Ringonis in quadam Norvegiæ provincia dominantis filiam, sibi consortem destinavit, & illâ non impetratâ, bello se accingit. Atque copias nauctus auxiliares ab Oddone regulo Jatriæ, Ringonis infestat absentes regionem, & reversum, sibique congressum, vitâ & filiâ privat, ex qua procreat Sivardum ac Butlum, totidemque filias. Hoc itaque suppresso belli incendio, alterum protinus in alia Norvegiæ provincia exaruit; Siquidem Trondo regulorum unus, à sorore Rusla, patriæ gubernaculum

lum affectante, profligatus, Omundi flagitaverit subsidium, & Danis, Norvegisque Rusla intrepide tamen congressa, illos superavit. Deinde victoriam prosequens, Norvegiâ subactâ, Hallandiam invadit, hincque fortioribus hostium viribus repulsa, patriam repetit, ubi à fratre, Danicis iterum agminibus roborato, cum sectatoribus traditur internecioni.

Bini autem fortissimi Rûslæ commilitones, Therias & Biorno, isti non praesentes prælio, cum dominam occubuisse inteligerent, memores juramenti de vindicanda ipsius morte quondam præstiti, Omundo duellum offerunt. Qui utrique simul congressus, alterum vitâ spoliat, alterum vitâ præfecturâq; ob singularem rei militaris peritiam, donat. His denique perfunctus bellis Omundus, Slavos perdomuit rebels, & actutum ab Egillo Sueonum rege cognato, tumultu civili vehementer implicato rogatus, multa pugnatorum millia in Sueciam transmisit. Quibus Egillus adjutus, adversariorum agmina haud difficulter prostravit, turbasque patriæ sedavit, inde quietius regnans; velut etiam Omundus, qui tranquillo postea regni dominio usus, consenuit, mortemque oppetiit naturalem.

LII. SIVARDUS, natu major inter Omundi liberos, Daniæ capessit regimen, hujusque sororem obtinuit sponsam Otharus, Sueorum & Gothorum monarcha. Tempore autem nuptiis condicto appropinquante, Otharus Ebonem, ex regni proceribus illustriorem, pro virginе in Sueoniam adducenda, honorificè Daniam versus, ablegavit. Sed antequam illuc pertingeret, à latronibus male admodum in via mulctatus, & spoliatus, ad Otharum mœstissimus revertitur. Is tantum legato infortunium fraude Sivardi, germanam adeo potenti ægrè despondentis forsitan regi, accidisse perperam suspicatus, cum fortissimo properat Daniam versus exercitu, occurrentemque in Hallandia Sivardum, in Jutiam profugere compellit.

Otharus autem vicit reliquum Daniæ armis devastat; sponsam indagat, & illam nactus, secum in Sueciam cum triumpho abducit. Visimirus igitur Slavorum princeps infortunio Sivardi animatus, jugo Daniæ projecto, profugum adoritur in Jutia regem, & primum vicitus, & mox vicit factus, Sivardum denuo fugat; Jutiam subjugat, & binas Dani filias captivat. Quarum unam Germanis, & alteram divendidit Norvegis, filium retinens illius Jarmericum in arctissima, obsidis loco, custodia, Sivardoque sub annuis Sielandiam permittens tributis. Verum Sconiam, Hallandiam & Blechingiam Sueciæ submissas, viro cuidam nobilissimo tradidit Otharus Siboni regendas, atque protegendas; Quas Sivardus ipsi erexiturus, exercitum in Sconiam traducit, ubi Sibbo, illeque acerrimè præliati, corruerunt, & Sueones provincias cum victoria retinuerunt.

LIII. BUTLUS, Sivardi frater, Sielandiam Slavis tributariam precario obtinuit, & Visimirus Daniæ & Slavoniæ simul dominio longè potentior factus, Visimariam fundasse, suo appellatam nomine, & Gedanum à Gethis & Danis nuncupatum, clarissimas ad mare Balticum civitates, ex sententia Polonicæ historiæ, perhibetur.

Interea temporis Jarmericus vinculis liberatus, agriculturæ traditur exercendæ, in eaque fidelis depræhenitus, ad majora gradatim & nobiliora promovetur officia, donec potissimum regiorum esset servitorum, ac Visimiro familiarissimus. Non tamen afflictissimæ oblitus patriæ, suam & ipsius noctu diuque meditatur libertatem, & quadam vice foris rege fraternis distento exequiis, ac domi aliis regina negotiis intenta, ratus oblatam voto satisfaciendi percommodam occasionem, vigiles ebrietate obrutos, cum regina & stipatoribus jugulat. Deinde thesauro, quam ocyssimè ad latebras exportato, absentem accedit Visimirum, & subditis domicilio flammis, ipsum, convivasque epulo funebri hilarius & securius indulgentes, consummit.

Ita

Ita patriæ & sua , quantum temporis permisisset commoditas, vindicata nonnihil calamitate, Daniam festinus ingreditur , ac benevolo patrui consensu illius clavum adeptus , totam Slavis & Suecis subducere molitur.

LIV. JARMERICUS , Sivardi filius , admirabili fortunæ providentiâ, ab aratro ad sceptrum promotus, Jutiam primò Slavis abstulit. Quando autem Sconiæ machinatur occupationem, contigit Sibbonem illius gubernatorem & defensorem, stupri cum regia sorore commissi falso suspicatum , ab Otharo trucidari. Quamobrem Sibbonis contribules regi gravissimè indignantes , ad Jarmericum certatim profugunt ; A quibus ille provocatus, animatus & roboratus, oblatam sibi occasionem adeo commodam, non Sconiam modò, sed & Gothiam , Sueciamque subjugandi magnoperè lætatur, ac sibi & profugis gratulatur.

Tantum vero abest, ut hostem Otharus formidaverit, ut trajecto protinus in Jutiam exercitu, prius illum infestaverit. Ibi tamen quorundam perfidiâ commilitonum, profugis faventium, ab hostibus profligatus interriit , & Jarmericus cum victoria plurimum expertas subdidit provincias Sconiam, Hallandiam & Blechingiam, non Sueciam vel Gothiam, ab Adelo Othari filio potenter defensatas.

Illarum tamen regionum accessione non parum confortatus, extemplo Slavoniae, injurias suæ captivitatis vindicaturus, bellum intulit horribile, illique subactæ gravissima imponit tributa, & XL Slavorum principes exquisitissimis perimit tormentis, ne forent plebeculæ rebellionis authores, ac militiæ ductores. Exercitu postea in Orientalium incolas regionum traducto , cum iis diu præliatur, ex regisque absentia, Vandorum princeps rebellandi nactus opportunitatem, Daniam populatur. Quo percitus nuncio Jarmericus, conversis domum signis , patriæ congrederit prædatoribus, & victoriam adeptus, defectionis ac populationis authores equinis alligatos tibiis , per invia & pervia, munda , immundaque loca, ut raptentur, & à grandibus infestentur molossis, crudelissimo sanè spectaculo demandat.

Ex Vandalia porro reversus, bellorum aliquandiu supersedit tumultibus, & interim quandam, in Dania condidit munitionem firmissimam , in ea thesauros repositurus , refugiumque in necessitate captaturus. Nec pacis diutius amans & tranquillitatis , bello dimicat maritimo cum Gothis ac Suecis, & triduanum post conflictum, receptui canitur ; firmissima utrinque pax constituitur, quodque Jarmericus sororem Adeli Sueonum regis, Suanildam, habiturus esset conjugem, decernitur. Non multo autem post nuptias tempore , Suanilda mulier pudicissima, mendacissimè apud maritum delata, & adulterii cum privigno perpetrati Brodero , à quodam calumniatore , regisque osore , fraudulenter accusata , imprudentissimo & crudelissimo Jarmerici mandato , calcibus substernitur equinis obterenda & interficienda. Sed Broderus nullius reus criminis , paulisper tamen citra vitæ periculum suspensus dimititur.

Adelus itaque Sueonum rex crudelem nimis interitum genitoris , & sororis ulturus , inito cum Vandalis fœdere, tyrannum aggreditur ; Qui constructa nuper arce magis quam humanis fisus viribus , in illa se trepidus occlusit. Ubi diurna impugnatus obsidione , & tandem expugnatus , manibus truncatur , opibus & vita merito privatur , castrumque solo adæquatur. Victores deinde armis in reliquam conversis Daniam, hujus partem Vandaliæ & partem Sueciæ , Gothiæque subdiderunt , miserrumque diu regnum affixerunt , & potissimum Vandali , multiplices sibi quondam clades à Dani illatas compensaturi.

LV. BRODERUS, qui Jarmerico quidem parenti fuit in throno Daniæ subrogatus, non tamen à jugo Sueonum & Slavorum liberatus, nec magis à Scondiæ chronographis celebratus, quod patriam exterorum servituti subducere, haud fuerit conatus.

LVI. SIVARDUS, cuius, eandem ob causam, nec genus nec gesta prodere voluerint Historici. Annū vero circiter CDLXXV post Christi natalem, regnasse Sivardum, turpiter Gassarus quidam fuit commentus; ac demiror profectò Haraldum Huitfeldium, quod mendacissimos illius calculos, regibus Daniæ appositos, in sua dignatus fuerit sequi chronologia. Nec minoribus quidam Jacobus Gislonis, suo historiam Sueticam computo tenebris involverat, prout alibi sum evidenter demonstratus.

LVII. SNIO, qui patre Sivardo vivente, in senium tamen vergente, pristinæ Daniam restituere libertati, potestatique conatus, tam laudabili post obitum parentis proposito excellenter satisfecit. Enimvero non patriam solum dominio exterorum fortiter subduxit, sed porro limites illius proferre molitus, Sconiam, Hallandiam & Blechingiam illi adjicere laboravit. Ut autem dotis ipsas nomine consequeretur, regis Gothici eas possidentis, filiam suo poscit conjugio. Sed Gothus tanto cum regni sui detrimento, natam abnuens elocare, potius ipsam Inguardo, Suecorum regi, promisit & permisit conjugem; Legatos vero Snionis, virginem consumpsit.

Itaque Danus, quod non modo utraque frustratus esset spe, verum insuper legatorum cæde provocatus, regiones marte occupat, & Inguardo uxorem arte, doloque erupturus, per occultos in aula Suetica fautores, reginam sibi magis conciliat, & denique consentientem inde clanculum in Daniam perducit. Ideoque tam gravibus Gothus & Suecus injuriis affecti, armis Daniam invadunt, quibus diutissimè, gravissimeque Snio afflictus, illis tandem occubuit, & dominio Suecorum, Gothorumque Dania succubuit.

LVIII. BIORNUS, Snione genitus fertur, nec sub ipso vel hujus parente Longobardorum contigit ex Scondia progressio, quemadmodum alibi firmissimis rationum documentis comprobabo.

LIX. HARALDUS, cuius, excepto nominis vocabulo, nec memoria, nec historia ullibi reperitur, ut neque Biorni, Sivardi vel Broderi, Daniæ prius dominantium, illudque rerum dispendium, injuriæ temporum, & hominum incuriæ isto mundi curriculo viventium, est adscriendum.

LX. GORMO, Haraldi filius, de quo fabulam, non historiam Saxonum Grammaticus memorat, illamque propterea his inserere paginis, veritati, non falsitati deservientibus, piget, pudetque.

LXI. GETRICUS, seu Godefredus & Sigefredus Gormonem haberunt parentem, qui regnò Daniæ diviso, hostibus formidabiles occurserunt, multisque passim victoriis inclarerunt, velut ex ipsa liquet chronologia. Inclytos etiam genuit liberos Sigefridus, Henningum & Gevam, quæ Vitachindo Saxonum principi nupserat; sed frater Daniæ postmodum sceptro potitus fuerat.

LXII. OLAVUS, Getrici mortem parentis, sumpto de percussore suppicio, vindicavit, & deinceps anno duntaxat superstes, in pace regnavit, vitâque migravit, anno Christi DCCCX. Reliquam vero Danicorum regum historiam, Scondiæ manifestat chronologia, illâque proinde omissa, promissam quoque de Norvegiæ regibus historiam aggreditur.

R E G E S

In Norvegia Trunvangenses.

SUIBDAGERUS, VI regum Noricorum, inclytam duxit originem ab Hemingo, II Norvegiæ monarca, & Othini filio; Ac propterea ipsum Sueci, Gothique velut agnatum Sigtrugi & Suarini, nuper à Gramo Danorum rege peremptorum, Upsalensi dignum throno censuerunt. Itaque Suibdagerus trium dominio regnorum ornatus & animatus, fœdere cum Saxonibus, Dano etiam ob regis sui cædem Henrici magnopere offensis, constituto, ex una ille hosticum parte cum fortissimis Suecorum, Gothorum & Noricorum agminibus, ex altera fœderati idem oppugnarunt.

Nec Gramus suis diffisus rebus, Suibdagero in primis occurrit, à quo superatus, fugam arripuit. Victor autem Saxonibus conjunctus, Daniam devastat, & captas Grami sororem & filiam per vices ad stuprum evocat, ita raptum consanguineæ compensans. Hostis tamen natam ob miram corporis elegantiam matrimonio dignatus, Asmundum ex ipsa filium procreavit. Interim Gramus novum adeptus exercitum, grassantes in patria hostes invadit, ab iisque denuò superatus cadit.

Suibdagerus autem præclare admodum ultus Sigtrugi & Suarini cladem, jure victoriæ Daniam, Norvegiæ, Sueciæ ac Gothis, adjunxit. Nec ullus priorum, vel posteriorum in Norvegia regum alias, his IV Scondiæ regnis amplissimis fuit simul dominatus. Postmodum vero Suibdagerus uxori gratificaturus, impense obsecranti, Daniæ commisit regimen Gutormo leviro, annuos inde censis daturo. Sed alter levirorum Hadinus, majoris animi, quam ut veetigalis fieret Suibdagero, postquam adolevisset, copias in patria nactus materna auxiliares, sororio sub Gotlandia congregitur, & cæso Suibdagero, victoriâ Daniâque potitur, non Sueciâ vel Norvegiâ, quas Asmundus sororis filius, sedulò propugnavit.

VII. ASMUNDUS, fidissimam naëtus tori consortem Gunildam, Ericum, Uffonem & Huningum ex illa filios consequitur. Quibus etiam Daniæ comparaturus imperium, ac mortem vindicaturus paternam, Suecis, Gothis & Norvegis, ad bellum convocatis, in hosticum potentissimus, irruptit. Cum obvio autem confligens Gramo, Ericum cecidisse filium intelligit, hujusque morte dolens atque fremens, intermediis hostium agminibus prostratis, ad ipsum properat Gramum filii cæsorem. Qui dæmonis præsenti fretus auxilio, Asmundum quoque trucidavit; à corruente tamen adversario in pedum uno fauciatus, jugiter Gramus claudicavit.

VIII.UFFO, qui ut hostem in Norvegia & Suecia grassantem, ac sceptrum utriusque affectantem, inde commodius, quam congressu eliceret, transmisso in Daniam exercitu, ipsius simulat impugnationem & subjugationem. Ideoque Gramus patriæ misertus, ipsam, omisso hostico, quantocyūs repetit, illiusque Uffo exhilaratus redditu, non minus prope in Sveciam & Norvegiā reducit exercitum, easque ab hostium defensurus incursionibus, multo protinus majorem conductit. Quocirca reverhos proximo vere Danos tanta excæpit potentiam, ut eorum rex demum plerisque suorum amissis, cum præsentissimo propriæ simul vitae periculo per devia refugerit in Daniam. Vindictæ porro cupidissimus Gramus, cum dolo sæpius tentato, Uffonem tollere haud posset, martem denuo statuit experiri, quem magis sibi propitium naëtus, stravit adversarium, & Upfaliæ humavit.

IX. HADINGUS, Norvegiā à Sueonia disjunctam Danico submisit imperio. Nec illam diutius impugnare consultum existimans, cum Hun-

Hundingo Sueonum rege tantam inivit familiaritatem, & societatem adeo stabilem, admirabilemque, ut alter cum altero vivere ac mori decreverit. Itaque Hunningus, falso dein nuncio de morte Hadingi accepto, in exequiis amici, vitam fibimet eripuit; Quod ipsum quoque fecit Hadingus, amore sui cognoscens Hundingum occubuisse. Definat proinde Asia, distentis jactare buccis, tot fidelissimorum paria amicorum, cum neque Scondia Nisis ac Euryalis caruisse deprehendatur.

X. HAQUINUS, qui primum Hadingi subiectus imperio, uni solum in Norvegia provinciae dominabatur, quando Ragnildem hujus filiam, plurimo conspicuam decore, pugilum quidam Noricorum expetebat proterve conjugem, nec parens virginis citra gravissimum vitae periculum, illam proco, licet tali sponsa indigno, denegare audebat. Haquinus autem & Ragnildi compatiens adhuc in vivis Hadingus, athletam, tempore nuptiarum appetente, duello opprescit, ductaque in matrimonium virgo, Frotensem genuit Hadingo. Post obitum vero generi Haquinus, suum Norvegiæ dominium consecutus perhibetur.

XI. GEVARUS, omnimoda prudentia, & rerum præscientia futurorum princeps fuit clarissimus, indeque Roricus, Suecorum & Danorum Rex, commotus, filios Gevaro suos, Atislum ac Hotherum commisit educandos & informandos. Temporis autem progressu Hotherus, Nannam educatoris sui filiam naectus sponsam, in gravissimam incidit propterea controversiam, cum Hacone Danorum regulo corrivali. Verum a futuro probe modum edoctus socero feliciter belligerandi, adversarium deinceps gloriose prostravit, Nannamque consecutus uxorem, illustri torum prole beavit.

XII. HAQUINUS, uxoris etiam cupidus ducendæ, venustam oppidò Cusonis, in Biarmia dominantis expetiit filiam. Atque siâ frustatus spe, ad consilium & auxilium Hotheri confugit, quo velut sequestro, vel potius paranympno, virginem obtinuit.

XIII. & XIV. HERLETUS ac GERITUS, patre nati Gevaro, praesentem Hotheri opem quoque sunt experti, quando clavum patriæ consequebantur. Enimvero quidam regni Satrapa, Gunno vocatus, Gevaro per infidias flammis consumpto, gubernaculum invasit. Proinde Hotherus Sueciæ ac Daniae monarca, exclusis compassus leviris, compræhensum igni tradit Gunnem, & Herleto, Geritoque sceptrum porrigit Norvegiæ.

XV. COLLERUS, Horvendillo Jutiæ regulo, quod crudelem nimis ageret piratam, summoperè infestus, ipsum ad cædem toto perquirit Oceano, & tandem in quadam maris insula offensum, duello excipit. Pruis tamen utrumque inter conuenitur, ut innocuus mutilato, vel saltem vulnerato, X auri talenta in compensationem accepti numeret detrimenti; vel si alteruter occubuerit, mortuum superstes victor inferiis prosequatur. Deinde Collerus adversario congressus, sternitur, ex pactoque sepe litur. Hinc autem Sela, Colleri soror, non minus quam frater militiae sedita, incolumis cum suis evasit cohortibus, illamque Horvendillus sedulo persecutus, pariter occidit.

XVI. FROGERUS in Norvegia rerum potiens, quando in Dania Froto, vegetus cognomine appellatus, imperabat, & ab eo quasdam ob causas bello impetratur, idque non paucò tempore geritur. Interim vero Frogurus X agminum ductoribus per Frotensem spoliatus, ipsem Dano congregati statuit. Nec indubiam sibi promisit victoriam, quod in arte foret palæstrica magnoperè versatus, & a dæmonio sibi familiari persuasus, confideret, a nullo se prostratum iri antagonista, nisi qui confli-

& tunc tempore, pulverem suis impressum vestigiis attrectaret. Froto haud ignorans Frogneri pervasionem, duelli tamen acceptat conditionem, & hujusmodi adversarium privaturus immunitate, faciliusque ipsum profligaturus, armorum permutatione, Frognerum ad deserenda paulisper vertigia, seduxit, & horum pulvere ita tacto, prælium animofus ingreditur, in quo Norvegus graviter vulneratus, moritur.

XVII. RUSILA, regio procreata sangvine Noricorum, & plurimis animi, corporisque dotibus, & præfertim militaribus ornata, regni dominium non immerito consequitur. Verum Huirvillus Hallandæ princeps, velut regia etiam Norvegiae progenies, tantos invidens Rusi & honores, auxilio Danorum illam impugnat. Quæ molitionis non ignara Danicæ, imperium affectantis Noricum, amicitiâ cum Huirvillo firmatâ consanguineo, & militiâ cum ipso adunatâ, Daniam infestat. Hallandis autem & Norvegis Fridlevus Rex congressus in Sielandia, plurimis suorum desideratis, hostibus superior evasit.

XVIII. GOTARUS, potentia & opulentia florentissimus, cum inaudivisset regem Frotensem, ob pravam regni administrationem Danis vehementer esse odiosum, non difficulter ipsum sceptro spoliandum censuit. Sed bellum in Danos molienti Gotaro discordes, Ericus quidam nobilis genere, atqui ingenio longè nobilior, ut potè corporis elegantiâ, sermonis eloquentia, rerumque scientia & prudentia ornatissimus, illud diffusat. Iplemet porro Daniæ statum exploraturus, socio fratre Rollero, aulam petit Frononis, ubi gravissimis defunctus periculis, tantam suarum adminicula virtutum Regis denique gratiam promeruit, ut ipsi sororem, & Rollero suam daret Rex conjugem, propter adulterium repudiatam, uxores, eximiisque ornaret in regno proventibus. Horum interea juvenum relatione, Gotaro filiam esse pulcherrimam, nomine Alvildam, Froto cognoscens, Erico & Rollero in Norvegię legatis, illam expetit thalami consortem. Verum Gotarus ipsam detulit hac Erico conditione uxorem, ut hujus conjux Gunnara, Frononis germana, sibi vicissim nuberet. Itaque pertinaci Regis voto subdole consensit Ericus, donec Alvildam ad naves perduxisset, quacum prorsus intemerata, in Daniam velificans, virginem Frononis thalamo præsentavit. Norvegus autem insigniter delusus, bello se accingit, qui ab hostibus oppressus, interiit.

XIX. ROLLERUS, frater Erici Sueonum regis disertissimi, & maritus Hanundæ, quam Danus nuper repudiaverat, Fronone propterea meritò succensens Hunnus, Hanundæ pater, acerrimum illi bellum denunciavit. Porro, ut tantis Froto hostibus felicius occurreret, & concurreret, auxiliares undique cogit militum turmas, hasque inter non postremus fuerat Hithinus, in quadam Norvegiae provincia rerum potiens, qui CL navi- gii, re bellica instructissimus, classem auxerat Danicam. Nec Rollerus paucioribus stipatis copiis Fronensem accessit, suâ causâ belligerantem, à quo missus pro commeatu, ex Norvegia castris advehendo, Sudmoriæ ac Normoriæ incolas, regulo horum Artorio prostrato, Frononi subjugavit, posteaque ad ipsum reversus, insignem navavit operam victoriae ab Hunnis reportatae.

Istud proinde, aliaque non pauca Danus obsequia remuneraturus, subactas Norvegiae ditiones, Rollero donavit, qui reliquum patriæ occupaturus imperium, minus feliciter cum æmulis pugnavit, ab illoque Danus & Suecus in subsidium vocati, quantociùs advolarunt. Neque inermes depræhenderunt adversarios, quibus nihilominus congressi, haud incruentâ potiuntur victoriâ, & Rollero Norvegi subjiciuntur. Cæterum paulò ante hunc Norvegiae tumultum, Alphius quidam Hetmarchiæ, & Biornus Vi-

chiæ, dominabantur, quorum inter filios Asmundum & Asvitum, tanta intercessit amicitia, ut huic mortuo, ille vivus contumulari voluerit. Verum à præfato Suecorum exercitu, adhuc spirans depræhensus, ex specu sepulchri profundissimo, mirâ sui fortunâ extrahitur, qui progressu temporis, supremum Norvegiæ dominium consequitur.

Interea verò Froto Daniæ, Ericus Sueciæ, Gothiæque, & Rollerus Norvegiæ, reges potentissimi fatis absumpti, turbatum successoribus regimen tradiderunt, illorumque occasu Norvegi timore liberati, ad pristinam aspirarunt libertatem, potissimumque fuarum calamitatum adscribentes causam Erico, Sueonum regi, de Haldano ipsius filio, pœnas sumere statuerunt. Ab his propterea Suecus bello tribulatus, & tandem superatus, auxilio ex Russia accepto, quod Fridlevus Dani filius ducebat, hostibus prævaluit. Horum primarii fuerant XII. fratres, quos Fridlevus in arce quadam latentes fortissima, indeque crebrò factâ excursione Sueciam infestantes, aggressus cecidit, & pacem Sueonibus ita providit.

XX. ASMUNDUS, ut quidam existimant, Alphii, Hedmarchiæ quondam imperantis, filius, monarcha Norvegiæ constitutus, vel primarius toparcha, filiam procreavit Frogertam, quæ à Fridlevo Danorum rege, in conjugium postulata, nec impetrata, cruentissimi præbuit bellī occasionem. Asmundus etenim, quod Froto & Fridlevus horrendis olim detrimentis Norvegiæ affecissent, hunc filiæ indignum censuit matrimonio, & minis ideo legatorum exacerbatus, ipsos etiam trucidavit. Hinc Fridlevus æquissimas nactus belli causas, amitini ope Haldani, cum Asmundo dimicat, & ipso jugulato, cum Frogerta nuptias peragit, quæ deinceps illi Frotонem enixa fuerat. Quando Haldanus Sueonum rex, Fridlevi suasi, palcherrimam Hithini regis filiam duxerat quoque conjugem, ex ipsaque Sivardum poste suscepserat.

XXI. VICARUS, quem Scondicorum quidam regum cæterorum, veteri seductus similitate, morti destinans, hoc Starcatero suasit scelus peragendum. Isque hinc persvasus, in Vicari se amicitiam fraudulenter insinuat, & piraticam exercens militiam cum ipso, adversa nimis diu tempestate, in quodam detinetur portu. Itaque Vicarus à Starcatero seductus, Deos maris humano censuit propitiandos sanguine, & conjectis in urnam fortibus, victima designatus, ab eodem suspenditur, ferroque simul transfoſſus, moritur.

XXII. HELGO, ut securior Norvegiæ dominaretur, nec armis Dani regno suo plerique inhiantis, impeteretur, Helgam ipsius germanam sibi consortem tori de legit. Itaque navigationem illuc tanto instruxerat luxu, ut excultorum auro velorum, malorumque uteretur apparatus, ibique non minus splendidè suscepitus, eâ Helgam lege sponsam obtinet, quod Angaterum ejusdem competitorem, ducis Sielandici filium, singulare profligaturus esset conflitu. Sed postmodum comperiens antagonistam, octonis in subsidium fratribus adhibitis, pugnaturum, suasu sparsæ suis Starcoterum partibus, adsciscere statuit adjutorem. Ideoque ipsum Upsaliæ, in aula regis Haldani morantem, Helgo conveniens, illius flagitat auxilium, & promissum haud dubium nactus, Daniam lætus repetit. Illum verò Starcaterus mox subsecutus, condicto certaminis tempore in regia Ingelli comparet; ubi solus præfatis IX. agonistis congressus, cæsis omnibus, Helgonem à periculo liberavit, ab eoque indignam retulit mercedem. Etenim subverens Helgo, qui interim sponsæ inhærebat amplexibus, nè pœnas absentiæ daret, revertenti ex pugna Starctero, thalamumque indignantem subeundi non modicum inflixit vulnus. Quâ tamen injuriâ Starcaterus plus mitigatus quam exasperatus, quod magna-

nimum inde Helgonem æstimaret, illi condonat offensam, & victor in Sueciam properat.

XXIII. HATHERUS, Thorildam habuit filiam plurimâ oris venustate conspicuam, ipsamque pugilum quidam Grimo, rebus magnificè gestis illustrior, quam natalibus, suo poscebat thalamo nimis contumaciter. Haldanus verò II, Sueonum rex fortissimus, Grimonem tanto indignum connubio sentiens, cum ipso in arenam descendit, & rivali superato, virginis torum concedit, insignem ex illa filium suscipiens Amundum, quem deinceps regni delegit hæredem avus maternus. Non tamen ab Haldano hujus parente, Norvegi se regium traducere genus olim gloriabantur, verum ab Haldano, regis Olavi Tretelgæ filio, velut alibi comprobabimus.

XXIV. AMUNDUS, clarissimos habuit filios, Haconem, Haborem, Anundum & Helvicum, quorum primogenitus, fortissimis in commilitum adscitis pugilibus, piraticâ Britanniam multo afflixit tempore. Interea verò fratum reliqui propinquiora maris littora infestantes, etiam cum filiis Sigari, Danorum regis, confixerunt, & ipsis, finito certamine, reconciliati, Daniam unâ invisunt. Ubi Habor, Signem regis filiam suis clanculum amoribus addictam reddidit, & comperiens suos ideò fratres, dolo peremptos, hujus authores sponsæ germanos pròpterea necavit.

Non minus tamen Signi dilectus, assumptâ veste fœmineâ, gy næcum illius ingreditur, ibique proditus capit, & à Sigaro filiorum interitum, ac filiæ stuprum vindicandi cupido, suspenditur; Quo cum una interiit Signes flammis absumpta voluntariis, quando Amundus domi vitam morte clauerat naturali.

XXV. HACO, qui paterno, fraternoque in Britannia obitu cognito, in patriam quantociùs remeat, & hujus adeptus gubernaculum, Dania acerrimè impugnat, turpissimum Haboris interitum vindicaturus. Proinde Sigaro imprimis morte mulctato, Sigvaldum hujus filium agreditur, qui licet similiter occubuerit, tamen Dani victoriâ potiti, hostem inseguuntur fugientem. Haco autem à reditu in Norvegiam prohibitus, in Scotia captat refugium, ubi moratus biennio, vitam terminat, genusque regium Norvegiae universum.

Ab illius porro commilitonibus, celeberrimus Angliae Rex Arthurus, & Agnischelus, Scottiæ monarcha, instigati, vel propria dominandi potius libidine provocati, annum circiter Christi, CDL XXXVIII. Scondios invadunt, & Dianam, Gothiam, Norvegiam, ac fortassis etiam Sueciam, subigunt. Nec paucò Dania, Norvegiaque tempore, alienigenarum paruerunt dominio, & interea peregrinus quidam princeps Sueciæ, vel Gothiæ imperans, Christiana fuit sacra amplexatus, qui anno salutis humanæ, DCXC. sanctum genuit Sebaldum, admirabili virum sanctimonia, de quo in Chronologia copiosior sum futurus, nunc ad historiam revertendo.

XXVI. LOTHUS, consangvinei beneficio Arthuri, sceptrum adeptus Norvegiae, illud tenuit aliquandiu. Quando famosus & bellicosus ille Ivanus, Georgio natus parente, Russorum principe, ac primarius Equitum pugilumque, in honestissima regis Arthuri aula, inter Britannos & Scondios magnopere facinoribus inclaruit heroicis, idque prope annum Christi, CDX CVI; cuius historiam, Scondicis contextam eleganter rythmis, propediem, si Deus voluerit, promulgabo.

XXVII. REGNALDUS, qui diuturno alienigenarum finito imperio, indigena sceptrum patriæ consequitur. Inter ipsum porro, & Gunnarum Gothiæ regem, vehemens progressu temporis suborta discordia,

horrendis calamitatum procellis, denuò Norvegiam obruit. Quippe Gunnarus, traducto illuc fortissimo exercitu, incolas rapinis, flammis atque cædibus crudeliter admodum affligebat, hostibusque occurrentes Regnaldus, prosternebatur. Gunnarus autem prosequens victoriam, universum sibi regnum subdidit, & posteà subaudiens Drotam Regnaldi filiam, cum immenso regni thesauro, in quibusdam terræ specibus absconditam latere, illius se accingit investigationi, ac denique repartam sibi jungit matrimonio, quæ Hildegerum illi pepererat.

XXVIII. GUNNARUS, qui Norvègiam, cum regis filia & thesauro ita consecutus, sævissimè subacto cœpit populo dominari, minus tolerabilia illi tributa imponit, bis annuatim pendendā. Nec his contentus, insigni etiam contumeliâ gentem afficit. Nam remeaturus in Gothiam, suum in Norvegia proregem constituit Canem, huicque proceres & servitores assignavit, hujusmodi non indignos domino, ac publicato crudeliter edicto, illi obtemperare mandavit.

XXIX. HILDEGERUS, quem deinceps Gunnarus, submotò cane, Norvegis dedit regem, priore haud mansuetiorem belluâ, sed multò truculentiorem. Quocirca Gunnarus tandem Norvegorum misertus, filium proscriptis Hildegerum, & ipsem genti paulò clementius imperavit, donec à Borcaro, Gothiæ dynasta, ob tyrannidem trucidaretur. Extorris verò patriâ Hildegerus, militiam Alveri Sueoniam regentis sequebatur, tandemque in Russia pro Sueco strenuè belligerans, ab Haldano, fratre uterino, prout Suetica recensuit historia, maestatur.

XXX. Tronvangensium Rex fuit OLAUS, cui viragines quædam mavortiæ, Sticla & Rusila sceptrum eripere plurimum conatae, ab Haraldo, Danorum Principe, in subsidium vocato, profligantur. Asmundus etiam Vichiæ regulus, ejusdem auxilio Haraldi, sororem, regni similiter æmulam, debellavit.

XXXI. SIVARDUS, germanam Haraldi natus uxorem, nullos formidavit adversarios, securusque non pauco regnavit tempore, ac interim ex Dani sorore, filium adipiscitur Olonem, insigni principem fortitudine ornatum, quæ ipsum ad regni Danici provexit deinde solium.

XXXII. RINGO, quod filiam Omundo Danorum regi Esam abnueret conjugem, & hæreditarias Omundi provincias in Norvegia occuparet, suo ipsem infortunio dedit occasionem. Enimverò hinc Danus ad bellum lacepsitus, armis cum Oddone, Jatriæ Norvagicæ domino conjunctis, Ringonis, in Hybernia absentis, invadit regionem. Qui domum protinus reversus, hostes in regno grassantes animosius excipit, indeque abigit. Sed actutum regressi, prævalent Ringoni, & Omundus illo perempto, optatis Esæ fruitur amplexibus, & non modicam Norvegiæ portionem adipiscitur.

XXXIII. OMUNDUS, primarium sibi dominium Norvegiæ vendicabat, & Daniæ simul imperabat, cuius illic historiam sum prosecutus.

XXXIV. TRONDO, qui beneficio Dani regnabat in Norvegia, ideoque foror, virilis non servilis animi fœmina, fratri graviter succensens, ipsi clavum regni armis extorsit, & Danis ex Norvegia fugatis, sibi universam subdidit. Omundus Ruslæ propterea indignatus, & à Throndone simul de auxilio rogatus, fortissimas in Norvegiam expedit cohortes; Quibus illa profligatis, etiam Daniæ spem subjiciendæ concipit haud indubiam.

XXXV. RUSLA, quæ proinde Hallandiam in primis fuit aggressa; Verum illic ab occurribus repulsa hostibus Norvegiam repetit, reducemque Throndo adortus, superatur. Quamobrem Omundus cum

plurimis bellatorum millibus illuc profectus, Ruslæ perdomuit insolentiam, & pristino Throndonem dominio restituit. Quo ille beneficio animatus, germanam indagat fugitivam, & depræhensam obtruncat, hujusque infortunium bini commilitonum vindicatur, Omundum provocant ad duellum, in quo unus illorum trucidatur, & alter ob singulæres animi, corporisque dotes, centurionatu in Norvegia donatur.

XXXVI. GOTHO, princeps sanè liberalissimus, nec tamen ipsius acquiescens munificentia quidam Islandus, licet singularem foret expertus, Gotricum Daniæ regem, liberalius ab eo donandus accessit. Nec ibi voto frustratus, in Norvegiam remeat, & Gothonis filiam fraudulenter inde perducit in Daniam, Gothrico actutum despontatam.

XXXVII. SIVARDUS, princeps adeò illustris, ut illum Gotricus, Daniæ monarcha potentissimus, conjugio filiae dignaretur, istoque genitus est Sivardus, qui dominium Sconiæ ac Sielandiæ fuit postmodum fortis, & filium laude bellicâ clarissimum, Regnerum: Sed paternus Regneri avus, Sivardus, armis Sueonum occubuit.

XXXVIII. SIVARDUS, Fro cognominatus, cæso Noricorum rege, istud subdidit Regnum Sueciæ, Gothiæque, & mox perdidit. Quippe Regnerus, Danorum princeps, avi cognoscens interitum, ac crudelissimum, fœdissimumque Sivardi dominium in Norvegia, cum lectissimo illuc festinat exercitu, quem frequentissimæ incolarum cohortes, plurimum auxere. His proinde stipatus agminibus, ex utroque sexu conflatis, hostes adoritur, qui viso Regis occasu, fugam arripiunt, & Norvegi dominum suscipiunt Regnerum.

XXXIX. REGNERUS, Daniæ & Norvegiæ glriosus, victoriosusque moderator fuerat, velut alibi ex historia utriusque liquet abunde, quam Lector oro consulat, & novam hic non exigat.

XL. BIORNUS, Regneri filius, Sueciæ throno propter flagitia parentis exutus, Norvegiæ capeſſit gubernaculum. Minus tamen delectatus horridâ provinciâ, reliquum vitæ amœniori & lucrosiori piraticæ impedit exercitio, in quo demum interiit.

XLI. HALDANUS, de candido agnominatus osse, Huitbenius, Ola fuit Sueonum rege procreatus, & sub avi cura materni, Sologiam obtinentis Noricam, educatus, à morteque hujus Sologense natus dominum, Romrichiam, Hedemarchiam, Thottiam, Hadelandiam & Vestpholdiam, amplissimas Norvegiæ occupavit simul provincias, ac demum totius regni monarcha fuit salutatus. Conjugem porrò Asam habuit, Ostano Hedemarchiæ regulo prognatam, quæ binos illi fuerat enixa filios, Ostanum & Gudrotum; Quibus præter immensos divitiarum acervos, etiam liquit Vermelandiam, Sueciæ, seu Gothiæ avulsam. Postremò autem sublatius morte in Schiringsfalia Vestpholdiæ, regiâ tumulatur magnificentiâ.

XLII. OSTANUS, parenti subrogatus in Norvegiæ imperio, Hildam Vestpholdici reguli filiam duxit uxorem, quæ liberis non paucis in lucem productis, regium in Norvegia genus restauravit, à quo sequentes Noricorum principes se oriundos esse, fibi oppidò gloriosum existimarent, ab Haldano Ostani parente, non Haldano regis Danici filio, ut Saxo perperam testatur, suam retexentes genealogiam. Cæterum Ostanus, quando in mari cum Schioldo Vermensium præliatur dynasta, ex navi lapsus in aquas, fluctibus obruitur, & tandem inventus tumulo propè Borriam conditur.

XLIII. HALDANUS, proles Ostani regis inclyta, sacerum habuit Liusdagerum Vestmariæ regulum, qui piraticâ tot corrasit opes, ut suo daret

daret militi tantum auri , quantum ali principum numerarent suis commilitonibus, argenti.

His tamen divitiis injustè partis , mors haud placata , Haldanum denique abripuit, in sepulchro humatum sub Borria paterno.

XLIV. GUDROTUS , Haldano natus, ex prima suscipit conjuge Olavum, cognomento Girstadium; Ex altera verò Haldanum, illaque marito propter necem suo parenti ab eo illatam summoperè offensa , ipsūm, conducto clanculum Sicario, interemit.

XLV. OLAUS GIRSTADIUS , quo rerum potiunte, Norvegia de nuò inter varios distracta fuit regulos. Nam Sueones Vermelandiam recuperarunt; Gandolphus quidam optimatum, Vingulmarchiam , & Haquinus Uplandensium princeps, Hedemarchiam ; Thottiam atque Hadelandiam, subjugarunt. Olaus autem occiduæ solum dominans Vestpholdiæ, orientalem hujus portionem , Haldano fratri assignavit , ingloriusque de vita migravit.

XLVI. HALDANUS, Olai frater, Nigri fuit cognomen sortitus , qui paternum recuperaturus imperium, sub germano distraetum, in primis di midium Vingelmarchiæ, Gandulpho regi, bello sàpius commisso, eripit. Deindè Romrichiam abstulit alteri regulorum, Ostano, partem ipsi solum Hedemarchiæ permittens, quod consanguineus effet. Reliquis verò regulorum, Hadelandiam & Thottiam extorsit, Sogniamque socii ditionem Haraldi, post hujus, uxoris, ac filii obitum consequitur.

Tantæ porro Haldani fortunæ invidens Gandolphus, ipsum in Vingel marchia securè convivantem, fraudulenter adoritur. Quas tamen insidias evadens, coacto protinus exercitu , hostem persequitur , istoque ceciderunt prælio, Hisingerus & Helsingerus, Gandolpho geniti , atque totam subiicit Vingelmarchiam Haldanus. Pacato itaque regno , secundum contrahit matrimonium , cum Ragnilde Sivordi Hiort, Ringrichiæ imperantis filia , Regneri Danici cognata, quæ secundum nuptias hujusmodi fuit somnio admonita, super filii propediem concipiendi admirandis successibus.

Videbatur ipsi per quietem, quod spinam de suo produceret sinu, ex qua mox surculus ingens enatus , & in terra firmiter radicatus , in tantam procresceret celitudinem, ut ipsius cacumen visu non posset assequi. Truncus autem infernè rubeus , & supernè viridis, adeò patulos ac prolixos difunderet ramos , ut totam illi Norvegiam cooperire viderentur, horumque unus præcipuo reliquos virore ac decore superaret. Eadem quoque Haldanus nocte Ragnildis inhærens amplexibus, somniabat, amplissimo , splendidissimoque se ornatum capillito, in plurimos versicolores & rutilantes diviso cincinnos , quorum nonnulli adeò essent promissi, ut terram attingerent; quidam ad génua usque, alii umbelicum; reliqui ad scapulas vel cervicem propenderent; Atqui universos unus horum pulchritudine & magnitudine plurimum excelleret. Tale quidem utriusque fuit somnium, quod vocatus manè conjector, de filii exposuit procreatione , & hujus progenie illustrissimè propaganda, quæ diu Norvegiæ effet dominatura , non tamen potentia æquali ; quodque unus posteriorum reliquis effet præstantior futurus, sanctum intelligens Olaum; nec defuit vaticinio eventus.

Quandoquidem deinceps Ragnildis filium énixa fuerit Haraldum, cuius filii numerosi , & progenies gloriofa clavum tenuit Norvegiæ annis posteà quadringentis , prout sequens Chronologiæ manifestabit procursus luculenter.

Isto proinde somnio Haldanus magnoperè exhilaratus, omnem curam cogitationemque liberorum & posteriorum accommodat emolumento ac incremento ; æquissimas promulgat leges , easque ut promptius subditus ob serva-

servaret populus, ipfemet nunquam illas prævaricatur, atque regnum continuò perlustrat.

Quocirca dum Hadelandiam postremo visitaret, & in tenui, fragili-
que nimium equitaret glacie, ipsa subsidente, Haldanus cum stipatoribus
demergitur, & fluctibus extinguitur. Siquidem verò populus illam annonæ
copiam, quâ sub Haldani regimine fruebatur, ipsi, non Deo, perperam
referret acceptam, eadem deinceps illos sibi persuasit fruituros, quorum
in provincia regum funus tumularetur.

Propterea divulgato regis interitu, concurrens ex variis regni diti-
onibus plebecula, de hujusmodi concertat prærogativa, nec prius sedata,
quam conclusum esset, ut funus membratim dissectum, in quatuor primaria-
ris, nempe Vestpholdia, Romrichia, Hedemarchia & Ringerichia, hu-
maretur provinciis.

Cæterum Haldano fuit synchronus quidam Norrebothniæ regulus,
nomine Dumbus, socerum habens finitimæ principem regionis, quæ tum
temporis vulgò Quenlandia, videlicet terra fœminarum, à Gothis ex
Scondia dudum egressis ibi relictorum, seu Amazonum, & hodie corru-
pto nimium vocabulo, Kajanlandia nuncupatur.

XLVII. HARALDUS, Illustrissimus, fortunatissimusque Haldanifi-
lius extitit, cuius juvenili admodum ætate reguli provinciarum contem-
ptâ, non modo amplissimis ipsum regionibus exuerunt, sed etiam vitâ
privare decreverunt. Quas ignorans insidias Haraldus, cum ephœbiam
egressus esset, Gœdam, principis Hordelandici natam, missò ad illam
legato poscit concubinam. Sed abnuit virgo, asseverans nolle se maritum,
unius, vel alterius duntaxat territorii dominum, multò minus concubi-
num. Ideoque si suum expeteret matrimonium, possessionem recuperar-
et in primis paternam, & prout Sueciæ ac Daniæ reges, imperium pro-
pagaret, hisque in magnificentia se conformaret. Quo Haraldus respon-
so confusus, & tanquam profundo excitus veterno, sanctè vovit, se nec
barbam rasurum, neque comam incisurum, antequam totius esset Nor-
vegiae adeptus imperium.

Itaque voto satisfacturus, per decennium principibus & proceribus
regni colluctatur, quos arte, marteque bonis passim mobilibus & immobili-
bus spoliavit, ex Norvegia certatim & catervatim profugentes. Quorum
non pauci cum uxoribus & liberis, oceanum permensi, habitationem in
Gronlandia, Islandia, Ferogia, Sudoria & Manoria, insulisque pelagi a-
liis, delegerunt. Nec tamen primi has incoluerunt, ut Arngrimus falsò af-
firmat; siquidem incolas longè prius habuerint. Cæteri vero Dofrinis al-
pibus superatis, in Jemptia, quam dudum Catillus Jemptesonius excolu-
isset, & Herdalia pedem sedemque fixerunt, nec in patriam redierunt,
Haraldi formidantes tyrannidem.

Contigit autem ista gentium migratio, sub annum Domini, DCCC.
LXXIV. Remanserunt tamen multi optimatum in regno, suis ab Haral-
do provinciis in feudum acceptis, quos inter fuerat Raugvaldus Merensium
Dynafta opulentissimus, apud quem Haraldus post regni subjugationem
lotus decennalem, caput tonderi, & mentum radi curavit.

Deinde pacifica Reipubl. negotia aggressus, paterna renovat statuta,
& nova fabricat, quibus inter alia severè prohibuit quaslibet in regno di-
reptiones ac prædationes.

In quam delinquens postea legem, Rolpho filius Raugvaldi præfati,
ex piratica nuper reversus, paucis solum bobus & ovibus à quodam agri-
colarum violenter acceptis, aëtutum proscribitur. Qui propterea fortissi-
mis undequaque viris contractis, anno Christi DCCC XCV. patriam ex-
ilio

ilio haud infeliciter commutavit. Quandoquidem post varia cum Anglis & Gallis bella, XIX annis gloriose, laborioseque habita, tandem anno DCCCCXIII Neustriam Franciae obtinuit ducatum; Sed priusquam Rolpho solum verteret, & legem conderet memoratam Haraldus, Gœda regii consors thalami demum ascita, IV marito filios progenuit, nempe Roricum, Sigtrugum, Frotonem & Turgillum. Altera totidem pepererat conjux Haraldo filios, nomine Aſa, videlicet Guttormum, Haldanum Nigrum, Haldanum Album & Sigfredum. Verum ex tertia unicum suscepit filium, Ragnilde, rege Danorum Erico fata, scilicet Ericum Blodyxium. Quartam deinde uxorem duxit Haraldus Suanildam, quæ Olalaum, Regnerum, Richelium ac Biornum, S. Olai proavum, fuerat enixa. Quinta erat, Aſildis, mater Dageri, Ringeri & Gudroti. Snefridis VI vocabatur, genetrix Sivardi, Haldani, Gudroti II, atque Ragvaldi. His denique mortuis, solâ Haraldus concubinâ usus, ex qua nanciscitur filium Haquinum.

Ast interim legitimi adoleverant filii, quos inter haereditatem flagitantes, regnum divisi, potissimum Norvegiae regem constituens Ericum, cæteris chariorem, & largam præbens ita filiis occasionem, se mutuis conficiendi cædibus, velut eventus postea comprobavit. Quo inaudiens tempore, Edelbrandum Angliæ regem, fatis sublatum, & præterito ipsius filio, quod esset degener, Adelstenio, Haraldum Daniae principem, Edelbrandi ex filia nepotem, Thyra, throno destinatum Anglo, ut Dano hunc erexit, suis procuraret filiis, cum instructissima in Angliam contendit classe.

Illi autem potius sceptrum quam Dano Adelstenius annuens, cum ipso ita transfigit, ut secundum suam ex vivis migrationem, Norvegi hæredes Anglo essent dominio potituri, proptereaque Haquinum Haraldi filium suscepit educandum; Quem deinceps fidei articulis Christianæ probè informatum, & sacro fonte iustratum, de suo appellavit nomine Haquinum Adelstenium. Atqui Haraldus interea reversus, vitam morte commutavit anno DCCCC XXXIII, Ericusque gubernaculum Norvegiae gubernandum capessivit. Cognomento autem Haraldus fuit appellatus, à cinnorū venustate, Pulchricomus, inclytam & pervetustam ducens originem ab Ingone Freii, Scandianorum numine, cuius progenies primò Inglingar, & postmodum Kœningar, hoc est, Ingonis minores, fuerat nuncupata.

Præfatum denique Haraldum Thiodolphi chronicon, quod ego in hoc etiam fecutus sum, vocat Olai Tretelgæ trinepotem, quamvis ego potius existimem fuisse nepotem vel pronepotem, quod Olaus usque Haraldi supervixerit natalem; Nisi fortassis ille diu admodum vitam traduxerit, & progenies intercedens vitæ fuerit brevioris. Qui scrupulus licet plurimum in hac me chronologia molestet, nolo tamen veterum fidem scriptorum, pluribus reddere Lectori suspectam, modò pedem, seu potius calatum, referens ad intermissos paulisper annorum calculos, postquam tribus velut libris præcedentibus, Suecæ, Daniae & Norvegiae descripsérunt reges, in iis à natali propemodum Dominico, ad hoc usque seculi curriculum, nempe annum DCCCCXXXIII summâ rerum potitos.

ITaque nunc reversus ad primum Christi seculum, comperio Upsaliam ipso currente, non regnante in Affyria Nino, velut quidam veritati minus conformiter asseverarunt, à Freyero rege conditam fuisse. Appellata vero Upsalia, quod Uplandorum esset forum primarium; Siquidem in prisco Gothorum sermone, Salu locum exercenda assignatum mercaturæ, depræhendatur significare.

Anno Christi LIV. S. Petrus in Germaniam ablegavit, Euangelii gratia prædicandi, S. Eucharium de LXXII Salvatoris nostri discipulis

unum, & cum ipso SS. Maternum, Valerium ac quendam alium. Illi quidem Trevirensium successivè præsules evadunt; Hic autem Elsatiaæ, Saxoniæque Apostolus, ut etiam gentium finitimarum factus, Christum iis fidelissimè annunciat; Ubi tandem vitâ functus, sepelitur Bardevici, florentissimâ hoc ævo Saxonum urbe, in qua usque tempora Henrici Leonis, in honore ac amore fuit, plurimis coruscus miraculis. Tum quippe subversâ civitate, illius Apostolici viri reliquiæ dono cesserant regi Danorum, Canuto. Quocirca reor, Scondiotas ex prædicatione hujus viri Apostolici, nonnullum simul gustum fidei Christianæ isto tempore percepisse, quem dubio procul auxere populares, in exteris ad Christum conversi regionibus, domumque subinde reversi.

Anno CCLVI. Quidam Gothorum orbem pervagantium exercitus, primò in Hispaniam penetrans, incolis ferro subactis, diuturnam ibi consequitur habitationem, dominationemque.

Anno CCCLXXX. Visigothi, missis ad Valentem legatis, imperatorem, Mœsiæ portionem, ab Hunnorum excursionibus securam, & pariter sinceros Christianæ religionis poscunt doctores. Quando regionem quidem obtinent, non orthodoxam religionem, cum ipsem Cæsar Arrhianismo addictus, ejusdem magistros dogmatis in proprium & totius ecclesiæ Catholicæ maximum detrimentum, assignaverit Visigothorum populo.

Anno CCCLXXXIV. Longobardi, à bipennium quantitate, non barbarum prolixitate nomen adepti, ex Scondia, nimium annonæ penuriâ laborante, in Rugiam per oceanum erumpunt Balthicum, ibi aliquandiu confidentes.

Anno CCCLXXXVIII. Anglosaxones Jutiæ inhabitatores, à Vertigero Britannorum rege vocati subfido adversus gentium irruptiones finitimarum, classe III navigiorum illuc proficiscuntur, duotoribus Hengisto & Horso fratribus, Othinique pronepotibus, à quibus heptarchia & nomen Anglicum in Britannia sumpserant exordium.

Anno CCCXC. B. Suniva, reguli Hybernici & XI millium virginum post S. Ursulam primaria, tempestatibus à classe socia in Selium Norvegiæ insulam, depulsa, Ethnicis ibi Christum annunciat; Quorum propterea insidiis appetita, in montium illic cavernis ad mortem usque cum comitibus latitat, hosque Paulus Diaconus intelligit dormientes in littore Norvegico.

Anno CCCXCIV. Longobardi regem sibi primum constituunt Agel mundum.

Anno CD. Ulphilas Visigothorum pseudopræfus, sacrum Bibliorum codicem primus in vernaculum Scondiorum convertit, seu potius perversit sermonem.

Anno CDXII. Calendis Aprilis Gothi, auspicio regis Alarici, Roman fortiter expugnatam populantur, Ecclesiis tamen parcentes, ad illasque confluentibus.

Anno CDLVI. Quidam urbis optimates Romanæ, scilicet Publius Pælæmon, Libo & Prosper, ex illustri Columnarum orti familia; Julianus Dorsprongus, Centaurini, Ursinus & Hector Rosani, stemmatum, ut fævitiam Attilæ in Italia crudelissimè grassantis evaderent, cum uxoribus, liberis, cognatis, affinibus & cæteris amicitiaæ, societatisque sibi fœdere junctis, inde navigiis, per vastissima oceani spacia, in mare delati Balticum, in parte Scondiæ, Finlandia, sicut & Livonia, Curlandia, Prussia, Samogitia, Lithuaniaque sibi & posteris adeo diuturnam armis habitationem compararunt, ut progenies illorum in Polonia & Lithuania nostro etiam ævo, supremum obtineat cum gloria dominium.

Anno CDLXXVI, Longobardi, Rugiæ posthabitâ, Danubio adjacentes, & Ungariæ adhaerentes, invadunt regiones.

Anno

Anno CDLXXXVIII. Artus seu Arturus rex Anglorum potentissimus, Scondiam armis suo adjecit imperio, nec paucō Dania, Norvegia & Gothia temporis decursu, alienigenarum paruerunt dominio.

Anno D. horum potentia Rodolphus Gothorum rex in Scondia compulsus, patria desertā, ad regem Theodericum secessit in Italiam suum contribulem.

Anno DXX. Heruli, bellicosa Scondiorum progenies, pio Justinianni Cæsaris conatu, religionem amplectuntur Christianam; Sed vitem horum idolatriam Procopius Lib. II, belli Gothicī, describit.

Anno DXL. Heruli Illyricum incolentes, regio apud illos sanguine, per Anirici mortem penitus exhausto, in Scondiam legatos, priscam expediunt patriam, & regem sibi adducunt inde, peregrinos isto non dignantes honore principes, solumque originis tanto adhuc amore complectentes.

Anno DXLVIII. Bellacissimus ille Totilas, viribus suorum fretus Gothorum, Romam mundi dominam suo addidit imperio.

Anno DLX. Ablabius natione Gothus, & functione senator Romanus, XII libris Gothicē conscriptis, gentis suae complexus est historiam, quorum deplorant hodie interitum rerum studiosi Gothicarum.

Anno DLXIV. Jornandes etiam Gothus, seu Alanus, & Ravenatensium antistes, præfatos Ablabii commentarios rededit in epitomen, unicā duntaxat fretus illorum pervolutatione, indeque Gothorum ex Scondia emigratio posteris evalit manifestior; De qua multo prius tempore scriptores fuissent corrixi, & nunc Jornande sequestro reconciliati.

Anno DLXXIII. Longobardi, superatis Alpibus, Italiam ingressi, regnum illic de suo nomine auspicantur, quod maxima cum laude annis deinde CCVI administrarunt.

Anno DXCIV. Richardus LXX, Gothorum rex, in concilio Hispaniae Toletano, hæresim abjuravit Arrhianam cum suis proceribus, quos inter fuit Aphrila, comes ex Scondia illustris, unaque subscripsit Synodi decretis. Unde manifestius liquet, Christianam Scondiis fidem, hoc tempore haud fuisse penitus ignotam; Manifestissime autem sequens de S. Sebaldo, idem comprobat narratio.

Anno DCXC. Perseverante adhuc dominio Britannorum in Scondia, rex Gothiæ Christianus, & hujus conjux, suam magnopere deplorantes orbitatem, Deo castimoniam nuncupant, si filium modò unicum imprimis consequerentur. Divinitus autem exauditi, filium generunt B. Sebaldum, & cælibem postea vitam egerunt,

Anno DCCV. S. Sebaldus ad Parisiensem transmissus scholam, insignem navat operam litteris per triennium sublimioribus.

Anno DCCIX. Ut illustrem ex filio parentes Sebaldo nanciserentur progeniem, ipsi ex studiis revocato sponsam procurant, comitis in Gallia filiam. Verum castitatis amantior B. Sebaldus, prima nuptiarum nocte, virginem permovit ad vovendam una secum perpetuam Deo castimoniam, moxque domo patris aut socii egressi, eremum petit, in qua divino se totum annis XV, mancipavit obsequio.

Anno DCCXVI. Gothorum natio à Saracenis in Hispania prope modum extirpatur, postquam illic annis CCC rerum esset gloriofissime potita, & duo millia CL transivissent anni, à prima illius ex Scondia migratione; superstes tamen ibi, & in plerisque Europæ thronis, celebrissima ipsius progenies haec tenus perseveravit.

Anno DCCXX. Torchillus Adelsarius, optimatum Danicorum potissimum, Christiano apud Flandros dogmate imbutus, regem in patria

tria Gormonem ad illud pertrahere conatur ; sed præpropera utriusque mors Danorum posuit modò obstaculum conversioni.

Anno DCCXXIV. B. Sebaldus illo Euangelii dicto admonitus, quod nemo accendat lucernam, ut ponat ipsam sub modio, verum supra candelabrum, omnibus qui domo sunt, lumen præbituram, suam videbatur sibi lucernam in eremo, velut sub modio abscondisse, & commissum à Domino talentum terræ infodisse. Quamobrem eremo derelicta, Romam festinat, ubi à Georgio II veniam Euangelizandi natus, primum nudis pedibus Italiam peragrat, & incolas sermonis vehementia, ac miraculorum potentia ad vitæ pertrahit emendationem. Postea Germaniam ingressus, plurimos hominum ibi similiter fuit lucratus, & præsertim Ratisbonæ atque Nurenbergæ conversatus, directam inhabitoribus semitam in cœlum verbis, signisque demonstravit, ac ibi demum ad superos translatus, admirandis diu Nurenbergæ miraculis emicuit.

Anno DCCLV. S. Vinifridus, cognomento Bonifacius, Frisonibus & finitimis prædicans nationibus fideliter Euangelium, ab ipsis martyrio coronatur.

Anno DCCLXXII. Saxones, Christi & Francorum detrectantes jugum, rex cæpit CAROLUS MAGNUS impugnare, & plus quam XXX annos cum illis belligerat, donec gens effera tandem viæta, subderet utrisque colla. Moliebatur & Carolus Scondiorum, Christo itidem & Galliæ regno, magis infectorum subactionem ; Ideoque ut commodius rem gereret, Saxones prius esse armis domandos, censuit. Nec Scondios Carolina latuit machinatio, & propterea Saxonibus in Gallos promptum ferunt subsidium, & præsertim Dani, quibus cum prius Saxones diuturnum gesserunt de limitibus bellum.

Anno DCCLXXIV. Rex Carolus Italiæ simul incumbens, Longobardis ibi expugnatis, Desiderium, gentis regem Longobardicæ ultimum, in Gallias abduxit captivum, & suo Longobardiam subdidit imperio. Ita potens illic regnum Longobardorum nanciscitur finem, postquam Longobardi à primo de Scondia egressu, XXXII habuissent reges.

Deinde Scondii sub Normannorum vocabulo, Saxoniam, Frisiæ, Britanniam, Galliam, Italiam, & ipsam sæpius Asiam, copiis infestantes maritimis, non minus inclauerunt.

Anno DCCLXXVII. Rege Carolo in Saxoniam cum grandi potentia adventante, Vitachindus rebellum antesignanus, siue timens vitæ, profugit in Scondiam.

Anno DCCLXXVIII. Copias Vitachindus in Scondia nactus auxiliares, regreditur, & præsidia Caroli non segnis profectò aggreditur.

Anno DCCLXXXII. Carolus Lippenhemiacæ, Danorum Legatos, pro Vitachindo perorantes, auscultavit.

Anno DCCLXXXV. Saxones demum rebus suis & commilitonum diffisi, Carolo viatori colla submittunt, jugumque Christi leve admittunt, cum Vitachindo principe baptismum suscipientes.

Anno DCCLXXXVI. Scondii tribus Angliam myoparonibus infestant.

Anno DCCLXXXVIII. Saxoniam Carolus in provinciam redigit, inque certas divisit Episcopas, Colonensi ac Moguntinensi, subjectas Archipræstulibus. Quas inter Bremensium diœcesis, Nordalbingiam, nempe Holsatiæ, Stormariam & Dithmarsiam, suo compræhendens amplexu, primum adipiscitur antistitem, pridie idus Julii, S. Vilhadum.

Judicia tua Domine abyssus multa ! Etenim cum orientalis Ecclesia indi-

indignam se præberet contumaciter syncero Euangelii lumine, istud obscurissimis sub aquilone dæmonum mancipiis impertire non designaris, Germanis primum, inde Slavis & Saxonibus, demumque nobis Scondiotis, clementer manifestans.

Anno DCCXC. Octava die Novembris mortem oppetiit S. Vilhadus, Nordalbingiæ antistes, à cuius tempore M. Adamus suam exorsus historiam, deducit ipsam usque annum MLXXII, cum maximo rerum Scondicarum emolumento.

Anno DCCC. Gothi Vinetam, opulentissimum Oderæ propinquum inhabitantes emporium, auxilio Heroti, seu Heroldi regis in Suecia, Gothiaque, & Danorum, suos impugnant concives, victoresque facti, urbem solo adæquant, olim quoque Juminum & Julinum appellatam, ac demum permissu regis Heroti, ad florentissimam Sueoniæ civitatem, Bircam, commigrant.

Anno DCCCIV. Cum Getricus Danorum rex, veteri quadam prætensa in Saxoniam jurisdictione, illam aliquandiu infestasset, in postulatum à Carolo consentit colloquium, se conferens ideo Slesvicum; Quo tamen ipse met periculum subesse veritus, abstinuit, legatis ad Carolum expeditis.

Anno DCCCV. Primam Carolus imperator Hamburgi fundavit Ecclesiam, cuidam Herudago commendatam, Danorum & Slavorum conversioni operam navaturo sedulam. Quarum etiam nationum, illic propediem instituisset Episcopam, nisi candidati mors Herudagi, & turbæ quædam imperii intervenissent. Isto autem currente anno Villenius, alter Nordalbingorum præsul, Ecceſiæ fuscipit Bremensis infulam.

Anno DCCCVIII. Getricus, Obotritos, bello compulit illato ad subjectionem, & Cæſaris formidans copias appropinquantes, remeat in Jutiam. Ubi consuetas hostibus prohibiturus incursionses, aggere Daniam, Holsatiāque interducto, Danaverche nominato, subditos fibi populos im posterum longè securiores reddidit, à finitimis irruptionibus gentium.

Anno DCCCIX. Getricus, fœderis cum Imperatore nuper constituti transgressor proclamatus est, idque propter Obotritorum impugnationem, & insontem se declaraturus, novum poscit & obtinet cum legatis Caroli colloquium. Sed æquis Danum conditionibus à Saxonum infestatione nequaquam posse avocari cognoscens Imperator, insignem in collimino Danorum excursionibus objecit munitionem.

Anno DCCCX. Normanni, seu Scondii, instinctu Getrici, Carolo infesti, classe CC navium Frisiam populantur; tributa exigunt, & arcus, urbesque passim subigunt, cognitoque Cæſarei adventu exercitus, prædis onusti, Scondiam repetunt. Cæterum ipsem Getricus, dum Carolinis obviam procedere meditatur, à proprio satellite fuit trucidatus.

Successit ipsi filius Olaus, & huic primo regni anno morte sublato, Hemingus subrogatur patruelis, & fratres Olai, Haldanus atque Helgo, in Sueciā profugiunt exulatum.

Anno DCCC XI. Rex Daniæ Hemingus, domesticis liberatus regni æmulis, cum externis decrevit hostibus pacem inire; proptereaque veris initio, in gratiam cum Imperatore Carolo rediens, Egdoram pro limite Holsatiā & Daniam discernente, fuscipit, eximiisque Cæſarem donis A quisgranum transmissis, afficit.

Anno DCCC XII. Hemingus vitam cum morte permutavit, & Sivardus, alias Sigefredus, Ringoque, Danicorum quondam regum nepotes, thronum invaserunt; Illi quidem Scanis & Sielandis; Huic autem Jutis suam deferentibus operam, subjectionemque. Quamobrem cum nulla esset fides regni sociis, qui bella sequerentur, dum Sivardus, pro istius

ævi consuetudine, foris piraticæ indulget, Ringo domi Sielandiam sibi non invitam subjugat. Quod Sivardus inaudiens, festinat domum, & aggressus æmulum, cum ipso & XI hominum præterea millibus occumbit. Porro Ringonis sectatores victoriâ potiti, haud tamen incruentâ, Haraldum & Regnerum ipsius fratres, ad regni fastigium sublimaverunt.

¹⁰⁷ Quando Normanni, Scondiæ quoque inhabitatores, infestâ in Britanniam classe delati, à Scottis intrepidè occurrentibus inde proflicantur.

Anno DCCC XIII. Haraldus & Regnerus honorificâ ad Carolum legatione missâ, pacem cùm illo, per Hemingum prius sanctam renovant, roborantque, fratrem recipentes Henningum, qui firmioris ergo transactionis, obses fuisse datus Imperatori. Ita securo in Scondiam transitu pro Euangelii prædicatoribus Cæsar obtento, Scondiorum conversionem Ebboni Rhemensium Episcopo frustra commendat, quod is oicio maluerit domi torpere.

Anno DCCC XIV. XXVIII Januarii, Christianissimus Imperator Carolus, fatorum violentiæ succumbit, filio transmittens Ludovico sceptrum.

Quando filii regis Getrici, auxiliaribus in Svecia, Daniaque contractis armis, postliminio regressi, Haraldum & Regnerum exturbarunt regno, & ipsum occuparunt.

Anno DCCC XV. Haraldus & Regnerus cum subsidio ab amicis etiam impetrato, in patriam reversi, Haldanum Helgonemque regni gubernaculo vicissim spolarunt, & renovatâ cum Ludovico Imperatore amicitiâ, pacem confirmarunt.

Ipsimet vero protinus discordes facti, ad arma profiliunt, quibus Regnerus in exilium detrusus, oceanum latrocino annis non paucis infestat, & Haraldus interim domi eum formidans, cum Ludovico Cæfare fædus in ipsum pangit.

Anno DCCC XVII. Tali Imperator fretus fœdere, & ratus tam crebras de Scondia piratarum excusiones, prius finem non habituras, quam incolæ Christo penitus agnito, suis vivere contenti, & aliena non rapere addiscerent, in concilio Aquisgrani celebrato, cum Stephano deliberat Romano Pontifice, de Scondiorum conversione,

Anno DCCC XVIII. Nihilominus tamen simul armis Scondios compressurus, Britannis contra ipsos tulit subsidium, & victoriam retulit.

Annum circa DCCC XX. Ingellus Sueonum monachus, spontaneo cum familia periit incendio; sceptri linquens hæredem Olaum; Qui à crudelibus Regneri filiis regno pulsus, in deserta Vermelandiæ cum sectatoribus & fautoribus secessit, ubi annis multis delituit.

Cujus interea filius Haldanus, cognomento Huitbenius, avo successit materno in Norvegia, quam ipsius exinde posteri ad annum usque MCCLXXXVII. regia sibi potestate vendicarunt, & continua successione gubernarunt.

Anno DCCC XXXIII. Novam Ebbo, Rhemensium Episcopus, accepit commissionem à Paschali Romano Pontifice, atque Ludovico Cæfare, Scondiæ Christo lucrandæ; Verum curis seculi nimium implicatus, domi resedit, & tam laudabili negotio turpiter supersedit.

Anno DCCC XXVI. Regnerus Suecorum, Gothorum & Norvegorum succinctus potentia, binam de Haraldo victoriam reportat, & ipsum Daniæ regno exturbat. Itaque Haraldus patria extorris, amicitiæ ac fœderi cum Imperatore quondam contractis sisus, ab eoque propterea subsidium postulaturus, Moguntiam cum uxore, liberis & fratre Erico, multis que Daniæ proceribus, festinavit.

Anno

Anno DCCCXXVII. Votis Ludovicus Haraldi perbenigne suscepit, ea consentit lege, si sacra ipsem Christianorum in primis amplexus, eadem per Daniam promulgari pateretur.

Nec aequam Haraldus conditionem respuit, de religionis probè informatus mysteriis, & cum comitibus sacrum postulat baptismum, quem neophytis solenniter contulit Rabanus Episcopus, in Ecclesia S. Albani, propinqua Moguntia, regem imperatore, reginam Judita Imperatrice, liberos & fratrem, proceresque aliis, imperii principibus & magnatibus de fonte salutifero cum ingenti pompa levantibus.

Inde vero remeanti Haraldo, donat prius Cæsar non modicam Fregiæ portionem, ut, si patriam ingredi prohiberetur, ob susceptum dogma Christianum, illuc cum suis haberet aliquandiu refugium, piratisque obsisteret.

Simul etiam præteralia multi precii donaria, & instructissimum ex Saxonibus exercitum, binos Euangeli præcones intrepidos, de Cœnobio Gallorum Corbejenſi petitos, Ansgarium & Autbertum, regi adjunxit imperator, Danis verbum salutis æternæ annuciatus.

Haraldus in Daniam reversus, absente vel fugiente Regnero, thronum recuperat, & novi Euangelistæ præfido regis, idolatriam acriter in patria subvertentis, dogmaque Christianum promoventis, regnum sedulò pergrantes, incolarum plurimos Christo per biennium lucrantur.

Anno DCCCXXVIII. exeunte, Ansgarius & Autbertus ad Ludovicum regressi, quam magnalia Deus per ipsos in gentibus esset operatus, cum gaudio annunciant; Tantoque proinde religionis incremento, pius Cæsar plurimum simul exhilaratus, Ansgario persuasit, Sueonum quoque & Gothorum tentandam esse conversionem. Sed alios pariter concionatores Norvegiæ, Ferogiæ, Islandiæ & Gronlandiæ, cum grandi animorum lucro, ablegandos procuravit.

Anno, ut reor, DCCCXXIX. S. Ansgarius Euangelicæ imperterritus orator legationis, Daniam, comitibus Gislemaro & Vithmaro, repetit, illoque ibi relicto, cum isto in Sueoniam, litteris commendatus Haraldi, alacer properavit.

Celebrius porro ea tempestate totius fuit regni emporium, civitas Byrcensis, adeoque potens, ut XIV hominum millia, in hostes producere, absque civium diminutione quapiam, posset; Et propterea securius, libenter, ac frequentius reges in ipsa morabantur, illucque S. Ansgarius cum socio delatus, humaniter à rege Berone suscipitur, ab eoque impetrata Christum annunciandi licentia, non Byrcensis modo, ac Sueonum reliquis, ast etiam Helsingis, Vermelandis, ipsisque Schifinnis rectam veræ beatitudinis semitam, anni spacio fideliter demonstravit, plurimis hanc amplectentibus, quorum primarius fuit Herigarius, Byrcensem prætor. Is autem tanta floruit deinceps vitæ sanctimonia, ut miraculis fulgeret, & propriis ædibus in Ecclesiam conversis, neophytes, annis non paucis sacerdote orbatis, in fide confirmaret nutabundos.

Cæterum Scondiis veram Christi doctrinam à S. Ansgario fuisse manifestam, omnes hujus peninsulæ scriptores testantur, præter M. Laurentium Nericium, primum novatae in Suecia religionis Archiepiscopum; Qui libro contra Herbestum edito, asseverat, anno post Christi natalem CCC XX, pristinam fidei in Ecclesia Romana puritatem occæpisse labeculis aspergi non nullis; In præfatione tamen Sueticæ, ut vocant, ordinantiæ, Ansgarium Scondiæ legitimum reputat & nuncupat Apostolum; idemque perhibet illi testimonium in sua historia.

Huitfeldius autem in proloquo Chronicæ Ecclesiastici, D post Christum anno, memorat nævis Romanam fuisse conspersam Ecclesiam, hincque insinuat

finuat Ansgarium, qui CCCXXVI exinde annis, Romani auspicio Pontificis, Scondios Christi nomine compellavit, minus veram nostris doctrinam prædicasse, ac consequenter usque MDXXIV turpiter Scondios in negotio religionis errasse. Verum in progressu historiæ politicæ, hujusmodi non sat memor assertionis, contrarium sentire videtur. Quam quoque Vellejus, Scholiasten agens Adami Bremensis, controversiam, subveritus naufragium, ceu scopulum pertransiit.

Anno DCCCXXX. S. Ansgarius ex Sueonia remeavit Corbegiam, tot populorum conversione clarus, & cœli terræque imperatoribus charus. Atqui mox diabolus tantis fidei Christianæ invidens successibus, Regnerum & filios in subversionem illius instigavit; Nam peregrè domum reverfi, expulsis iterum Haraldo & Erico, in Dania Sueciaque novellam suffocare conantur fementem; Ac ea quidem quæ in corde cecidit Haraldi, minus firmiter radicata hactenus, mox exaruit, & lolium idololatriæ in eo iterum fœcundius succrevit, non pectore Herigarii, quod utique multiplicem apud Sueones protulit fructum.

Cæterum alii Scondiorum in oceano grassati, Saxoniam, Flandriam & Galliam crudeliter affligunt.

Circa annum DCCC XXXI. Sueones & Gothi, libidine ac tyrannide Regneri, plurimum offensi, dum bello fortassis fratribus illato distinetur, jugum excutiunt Danicum, Beroneque filiorum uno, impium oppugnare patrem recusante, hinc exturbato, indigenam substituunt Anundum, sævissimum quoque Christianorum persecutorem.

Anno DCCCXXXII. Regnerus in quandam Norvegiæ provinciam filium intrusit Beronem, & hujus fratres crudelissimi, Agnerus, Vitsercus & Ivarus, Sueciæ, Gothiæque graves incubuerunt, interea Sivardo primogenito Daniam in absentia parentis administrante, quam postea Haroldus tertium recuperavit.

Quando Ludovicus Imperator pro sua pietate ac prudentia considerans, tantæ vineæ Ansgarium non sufficere solum excolendæ, novam in Saxonia fundat Corbegiam, deque veteri transfert eò viros non mediocriter doctos & religiosos, quibus S. Ansgarium præficit rectorem, statuens, ut ipsis in Scondiorum & Slavorum uteretur conversione.

Anno DCCCXXXIII. S. Ansgarius Haraldum Daniæ regem, in fide nimis vacillantem, vel idola prorsus colementem, salutiferum Christi dogma iterum traduxit.

Anno DCCCXXXIV. Paternis & suis Ludovicus votis satisfactus, mensé Maijo, cathedralm Hamburgi metropolitanam fundavit Nordalbingorum, Slavorum, Sueonum, Gothorum, Danorum, Norvegorum, Farrogiorum, Helsinglandorum, Islandorum, Gronlandorum, Schifinnorum, & omnium septentrionalium, orientaliumque nationum, quibus ostium fidei jam patefactum esset, illis metropolitam deputans S. Ansgarium, nunc Aquisgrani à Dragone, Metenfium Episcopo, Cæsaris germano, inauguratum.

Anno DCCCXXXV. S. Ansgarius Romæ constitutus, obtinet à Gregorio IV officii & beneficii roborationem ac pallium, insigne Archipræsum, unaque fuit deputatus cum successoribus, Romanæ sedis per regna borealia legatus & Apostolus.

Quo tempore Scondii occiduas Britanniæ regiones sunt ingressi, quibus rex occurrit Echbertus, & multiplice affectos clade ad myoparones redire compellit.

Imperator pro Scondiorum Christo lucrandorum adhuc sollicitus conversione, animadvertisit novam non posse Corbejam, tantæ necessarios mesli

messi subministrare operarios; Ideo Turholensium in Francia Cænobium, etiam S. Ansgario permisit, indè Doctores Evangelii pro tempore ac necessitate in Scondiam transmissuro.

Anno DCCCXXXVI. S. Ansgarius commissi non immemor officii, cum Ebbone consultat Rhemensium Episcopo, uter illorum Sueoniam, pastoribus orbam, esset aditus. Sed Ebbo prætendens corporis imbecillitatem, & itineris difficultatem, Gaudbertum, sorore vel fratre genitum, pro se obtulit vicarium; Quem ambo consecrantes Episcopum, Simonem vocarunt, divinæque commendatum protectioni, socio Nitardo presbytero, in Sueciam ablegarunt. In Norvegiam quoque & ad alias suæ curæ commendatas nationes, non impigros destinavit concionatores, ipse met propinquiores invisens populos, & ita multiplicem gentium frequentiam, emissis quaquaversum per provinciam Doctoribus, Christo concilians.

Anno DCCCXXXVII. Scondiotæ in Vestfalia Anglorum, cum rege congressi, ipsum trucidarunt, & sequenti ibidem anno, regem Hærbritum ceciderunt.

Anno DCCCXXXVIII. Vestsaxonum in Anglia regulus, Scondiis ex Nortumbria fugatis, ipsam regno suo restituit.

Anno DCCCXXXIX. Villericus Bremenium antistes, mundo valedixit, illique postmodum Leudericus, tertius in hac præful cathedralia, subrogatur.

Anno DCCCXL. Christianissimo imperatore Ludovico fatis absumpio, securius Scondii populantur Saxoniam, & potissimum desæviunt in Hamburgum, ac istius, Scondiæque totius primatem. Persecutionis autem tempore, delituit S. Ansgarius in claustru Thurholensium, & fundo Ramsolæ suburbano.

Nec minorem Anundus, Sueonum rex, movit domi persecutio nem in tenerum Christi gregem, in qua martyrium subiit Nitardus presbyter, aliqui Sueonum plurimi; Sed Episcopus Simon inde fugâ evasit incolumis Hamburgum. Postea caruit septennio Sueonia sacerdotis præsentia, & interim Herigarius, Byrcensis prætor, miraculorum potentia, doctrinæque vehementia, plerosque neophytorum in agnita fidei confirmavit veritate. Promeritas vero suæ tyrannidis pœnas mox Anundus persolvit, regno pulsus, & Olaus Tretelga, ut reor, in ipsum ex Vermelandia revocatur. Verum Anundus piratarum ex Scondia erumpentium factus antesignanus, transmarinas diu afflixit regiones, & hoc anno cum Etelvulpho, Vestsaxonum regulo, navaliter conflixit prælio, victoriam reportans.

Anno DCCCXLIII. Sergius II, suâ roboret bullâ, Ecclesiæ Hamburgenfi privilegia, legationem præter alia confirmans Ansgarii, pro Scondiorum conversione suscepit.

Anno DCCCXLIV. Scondii armis Britanniam, pro lubitu flagellarunt.

Anno DCCCXLV. Roricus alter Scondianorum ductor, DC navium classe in Albi congressus, Ludovico Germaniæ regi, victus abcessit; Victor tamen Scondiis formidans amplius congredi, donis placat furentes.

Anno DCCCXLVI. Scondii Frisiæ & Flandriæ horrenda premunt clade; Immò Scottos armis subactos, ad pendendos sibi annuos census compulerunt, ac citeriore Galliæ ditionem graviter afflixerunt, prædandi oportunitatem nauci, ex discordia nimium perniciofa filiorum Ludovici.

Haraldus thronum Daniæ sepulchro permutavit, & Ericus illi frater

ter successit, quod resciens Guttormus Haraldi filius, longinquæ intentus piraticæ, auxilio patruelium, regimen patruo statuit eripere.

Sed anni primordio suis approbat quoque literis, Leo IV, functionem & legationem Ecclesiæ Hamburgenfis, S. Ansgarium serio exhortans, ad respondendum suæ vocationi, & gentium conversioni.

Anno DCCCXLVII. Vivis excessit Leudericus, Bremensium Episcopus, & rex Ludovicus Ecclesiæ misertus Hamburgenfis, toties à Scondiis vastatæ, contulit S. Ansgario illam quoque Cathedram, Episcopo viduatam. Quamobrem licet Moguntinus & Coloniensis Archiepiscopi, litem hujus nomine deinceps sæpius Ansgario & successoribus moverent, tamen utraque diœcesis multo permanxit ævo copulata.

Anno DCCCXLVIII. His Ansgarius successibus exhilaratus, & officii, admonitionisque pontificæ recordatus, sedatâ nonnihil tempestate persecutionum, à Turholensi Bremam rediit monasterio, ad gentium illuminationem ablegans Doctores, ac in Sueoniam quidem plus quam septennio destitutam sacerdote, Hartgarium expediens eremitam.

Verum in Daniam ipse met profectus, non difficulter ab Erico rege obtinuit, Ecclesiæ iterum reconciliato, ut suo faceret liberum diplomate, cuique incolarum religionem amplexandi orthodoxam, ac templum fundaret primum extra Slesvicensium mœnia. Quando per hanc Euangelii annunciandi libertatem, multitudo hominum plurima prædicatione S. Ansgarii conversa, ad baptismum festinavit, in quo non pauci simul à corporis, animæque liberabantur infirmitate.

Scondiotæ porro, prænobile Burdegalensium emporium, à Judæis proditum, occupant, diripiuntque, interea Scotis jugum ipsorum excutientibus.

Anno DCCCL. in Fresia, Bataviaque Scondii grassantur, & Gandavum violenter occupatum diripiunt.

Anno DCCCLII. Scondii classe CCL navium in Fresiam denuo perlati, crudeliter ipsam deprædantur. Unde cum turmatim & certatim iverint nostrates, hoc ævo in öras transmarinas, nobilium dulcedine manubiarum inescati, domi per pauca regum gesta scriptoribus reliquerunt perscribenda.

Anno DCCCLIII. Suafit B. Ansgarius Simoni Episcopo, reversiōnem in Sueciam, & non persuasit, illo corporis imbecillitatem, & Archipræfulis autoritatem, sanctitatemque exaggerante, ac magis ideo cum religionis commodo, S. Ansgarii huc profectionem futuram protestante. Quamobrem vir sanctus, Heriberto quodam comite, Daniam repetit, & ab Erico rege commendatus Sueco, inde navigat, quando Sueoniam versus, ut reor, ab obviis spoliatur piratis, XL libris, ac supellecstile aliâ huic profectioni necessaria. Neque tantâ remoratus rerum jacturâ, Bircam contendit, ubi in frequentissimo ordinum convenitu impetravit, ut Olai regis assensu; statuum consensu; fortis jactu, & idoli seu oraculi responso, Ecclesia illic fabricaretur, baptismique licentia suscipiendi omnibus concederetur, quo ipse met simûl rex cum Sueonum plurimis fuerat solenniter lustratus.

Scondii famosissimas Galliæ civitates, Nannetum, Thuronium, Andegavum & Burdegalam fœdè affixerunt; sed mox intestinâ confusi discordiâ, in mutua ruunt præcipites vulnera, cædesque, cum interitu Rorici principis, & universæ propemodum nobilitatis; Indeque rerum nauctus habenas Hadingus, diu mundum crudelissime obvagatur.

Anno DCCCLIV. S. Ansgarius, commendatâ Heriberto, presbytero Byrcensem Ecclesiâ, inde Bremam revertitur, Sueciam non amplius invi-

invicem. Postea Heribertus Gothiam quoque ingressus, alterius fundationem, ut puto, Ecclesiae apud Lincopenses obtinuit.

Anno DCCCLVI. Scondii Aureliam Galliae urbem, & Sequanæ incurvant accolas, illic etiam hybernantes.

Anno DCCCLVII. Guttormus Haraldi filius, ex piraticis in Daniam reversus excursionibus, tanto patrum Ericum ardore aggreditur, & excepitur ab hostibus fervore, ut cum utroque principe omnis ceciderit ibi regia prosapia, excepto Erico, Regneri nepote, & Sivardi filio. Qui sceptro Daniæ potitus, ut Guttormi fautores sibi magis obstringeret, illius duxit filiam, Canuti genitricem; Verum reliquis paganorum gratificatus, secundam in Christianos movit persecutionem, ipsos vitâ, bonisque spoliis, & Ecclesiam occludens Slesvicensem.

Normanni Scondiæ soboles, etiam Latium ingressi, cum Italis diu colluctantur, donec progressu temporis illic comitatum, postea ducatum, & denique bina obtinerent regna, utriusque nimirum Siciliæ.

Anno DCCCLVIII. Committones interea delectati Galliâ, Lutetiam ipsius regiam flammis absunt, opibus spoliatam.

Anno DCCCLIX. Postquam in Francia diu esset hactenus disceptatum, de Hamburgensis & Bremensis unione diœcesium, tandem ob tantam gentium conversionem borealium, Nicolaus Archiflamen orbis, & Colonensis præsul, à Ludovico rege persuasi, huic consensum præbent Ecclesiarum combinationi.

Anno DCCCLX. S. Ansgarius hoc plurimum confortatus & animatus beneficio, ad vineam Scondiæ magis excolendam, contempta Dani tyrrannide, ipsum intrepidè accessit, & sua tantum effecit apud illum exhortatione, ut religionem amplectetur Christianam, & Ecclesiam Ripæ secundam in Dania fabricaret, hancquè incolis fidem omnibus suscipiendam, edito publicato mandaret.

Ragnildis Erici cognata in conjugem ducta, ab Haldano Norvegiæ rege, illi Haraldum genuit, cognomine Pulchricomum, qui gloriosissimus totius Norvegiæ deinceps evasit monarcha.

Classis Scondianorum victoriosa, novis Vandalos, Frisones, Anglos, Scotos & Gallos cumulavit detrimentis.

Anno DCCCLXII. Scondii totâ belli mole in Gallos conversa, flammis, ferro & rapinis illic horrendum grassantur.

Anno DCCCLXIII. Mota in Christianos Sueciæ persecutio, Gosbertum regni Episcopum expulit, qui Osnaburgensem postea rexit Ecclesiam.

Anno DCCCLXV. die IV Februarii, B. Ansgarius de mundo ad perennia cœli migravit gaudia, & Rembertus Decanus in utraque successit cathedra, vir religiosissimus; Quem præter, sequentibus LXXXIX annis, nemo ausus prædicatorum Sueones invisere, propter excursions piratarum creberrimas. Has vero S. Rembertus non formidans, in Sueciam velificavit, ubi regem illius quendam scribitur baptizasse, tempestatem sedasse, ac cæcum illuminasse.

Interim Ericus Danorum rex, de vita migrans statione, liquit filium Canutum adhuc infantem; Ideo quidam Daniæ princeps religiosissimus, Helgo nuncupatus, Angliâ posthabitâ, patriæ sibi arripuit gubernaculum.

Secundum verò Helgonem, Olaus Sueonum monarcha, ad fastigium Daniæ regium provectus, illo per quinquennium residebat. Deinde filiis illud commendans Ennignupo atque Sivardo, in Sueciam recessit, illic loco parentis nimium grandævi, Ingo dominabatur, & hujus frater Haldanus, rerum in Norvegia potiebatur. Ita Olaus sobole gloriosus tanta, quæ Daniæ, Norvegiæ ac Sueciæ sceptra teneret, ne Deo pro hujusmodi benefi-

ciis ingratus censeretur, nullum idolis cultum impendere voluit. Quam obrem gentiles annonæ flagellati caritate, culpam innocentissimo imputant regi, diis sacrificare abnuenti, impetuque in ipsum factō, eum idolis immolant.

Paternum adiit thronum Ingo, & Daniæ sceptrum capeſſit Ericus filius, secundum patruos ab incolis peremptos; Quod illi Canutus, ad virilem provectus ætatem, auxilio Noricorum, apud quos deliuſſet hactenus, dum eripiebat. Verum intermissos aliquandiu repetamus nunc annorum calculos.

Annum circiter DCCCLXVI. Regnerus in Hybernia captus, famé & serpentum morsibus in carcere necatur; Quem parentis interitum soboles crudelis vindicatura, Britanniam diu cruciavit, Hyberniāque.

Anno DCCCLXVII. Scondii denuò Metensem in Gallia, Pictaviensem, Andegavensem & Turonensem, depopulantur provincias, ac Gallorum occurrentium cæſis ductoribus, Roberto & Ranulpho, ovantes ad classem cum manubiis redeunt.

Anno DCCCLXIX. Carolus imperator Scondiis numerare maluit IV millia talentorum aureorum, quām ipsos impugnare, quo precio ipsos à Galliæ revocavit aliquandiu infestatione, interea Italiam & Flandriam oppugnantes.

Anno DCCCLXX. nova Scondiorum cohors erumpens, ferox Galliæ incubuit, Aureliano, inter alia detrimenta incolis illata, flammis desolato.

Sed in Anglia grassatur Ingvarus, Regneri filius, qui S. Edmundu regi paternam imputans cædem, ipsum in conflictu captum, scorpionibus immaniter cædit, & tandem occidit XIX Novembris.

Haldanus Norvegiæ rex, aquis domi ſubmersus, vacuum filio Haraldo liquit thronum, qui expulsis undequaque regulis provinciarum, potentissimus Norvegiæ factus eſt monarca, annis LXIII rerum in ipſa potitus gloriosissime, quam multos inter filios poſtmodum diviſit.

Anno DCCCLXXIV. Norvegiæ reguli, ab Haraldo ditionibus exuti hæreditariis, ad necemque quæſiti, in Islandiam, Gronlandiam & Jempiam profugiunt.

Scondii Andegavum, habitatoribus dilapsis vacuum, occupant, à Galloisque & Britannis illic oppugnati, ſe viriliter defendunt, ac denique tuis diffisi rebus, quodam inde dolo ad classem evadunt incolumes.

Anno DCCCLXXXI. Godefredus & Sigefredus, Scondiorum reges, in Flandros nimium defævierunt.

Anno DCCCLXXXII. Godefridus Frisiam in perpetuam nactus poſſectionem, & Gislam, Lotharii regis filiam, adeptus conjugem, fidem amplectitur Christianam, & Galliæ ſuperſedet vaſtatione.

Anno DCCCLXXXIV. Altera Scondiorum classis in Galliam appulit, quæ XII millia argenti puri talenta à rege consecuta Carolomanno, totidem annis ipſi pacem ſpoſondit.

Anno DCCCLXXXV. Hugo Lotharii filius, Godefredi affinis implorat ſubſidium, contra Carolum Galliæ obtrufum.

Anno DCCCLXXXVI. Scondii Lutetiam Parisiorum obſidione cinxerunt, & imperatorias obſeffis venientes ſubſidio copias, miro profligarent ſtratagemate.

Anno DCCCLXXXVIII. mortem oppetiit S. Rembertus, Hamburgensium & totius Scondiæ II Archiepiscopus, quem Adalgarius in catēdra ſubſequitur.

Anno DCCCLXXXIX. in officio confirmatus Adalgarius, XX ſedit annis, & continua piratarum remoratus excuſione, nullos Sueonibus destinavit concionatores.

Interea

Interea Sueno, morte patris Canuti vacuum concendit Daniæ thronum, & Scondii denuo Lutetiam multò acrius impugnant.

Anno DCCCXCI. Cæsar Arnulphus tantâ Scondios strage cumulavit, ut vix unus illorum remanerit, qui cladis nuncium ad commilitones in classem perferret.

Anno DCCCXCIII. Hermannus Colonensium antistes, in Trevirensi concilio, favore Pontificis Formosi, & Arnulphi Cæsaris subnixus, Bremam extorsit ab Adalgario, quem hujus amissio, à Scondiorum conversione non modicum etiam retardavit.

Anno DCCCXCV. Famosus ille Rolpho, filius Ragvaldi Jerlin Norvegia, legem Haraldi regis prævaricatus, ab illo proscriptus. Unde commilitonibus ex Norvegia, & reliqua contractis Scondia, primùm Angliam, & deinceps Galliam feliciter impugnavit.

Anno DCCCXCIX. Haraldus insidias Rolphonis non amplius horre-scens, Norvegiæ dividit imperium inter filios, legeque vetat promulgata, ne aliis quam suæ progeniei sceptrum posthac Noricum porrigeretur principibus, idque multis observatum est postea seculis.

Annum circa DCCCC. Ingo Suecorum rex prædicatione S. Remberti, quondam, ut reor, conversus, sacroque flumine mersus, operâ prudentissimi viri Vigeri Spache, leges patriæ curavit emendandas.

Anno DCCCI. Froto Suenonis germanus, regium Daniæ solium concendens, Slesvicensem & Ripensem restaurat Ecclesiæ. Nec his pientissimus contentus princeps, qui fuit in Anglia fide imbutus Christiana, legatis Romanam missis, plures flagitat Euangelii præcones, Danorum informationi necessarios, & ante illorum moritur reversionem.

Anno DCCCCVIII. Hac Sergius pontifex causâ motus, Bremam Adalgario resignat; privilegia confirmat; ad Scondianam deputat illi messem IV cooperarios, nimirum Halberstatensem, Ferdensem, Paderbornensem & Osnabryggensem, Episcopos. Præterea senio nimium gravato Adalgario, chorepiscopum de Corbegia tribuit Hogerum.

Anno DCCCCIX. VII Maij, finem vitæ imposuit Adalgarius, & ipsi sufficitur Hogerus, quem Slavorum, Bohemorum & Ungarorum excursiones à Scondica plurimum avocarunt legatione.

Anno DCCCCXI. Gormo, filius vel nepos Frotonis, ad regni cum ipso admittitur consortium; Selandiam, Scaniamque consequitur; reliquum Daniæ Frotone sibi reservante.

Anno DCCCCXIII. Gallus non valens diutius Scondiorum obluctari potentiae, ab illis pacem mercaturus, Neustriam, Franciæ ditionem fertilissimam, ipsis jure inhabitandam, hæreditario assignavit, Rolphonique fororem despontavit, qui cum universis fermè commilitonibus baptismo lustratus, Roberti nomen acceptavit, ac fidelissimus ille, posterique regno Galliæ, deinceps perlevarunt.

Anno DCCCCXVI. XX Decembris, Hogerum sustulit mortis violencia, & Reginvardum Hamburgensis consequitur Ecclesia, Scondiaque præsalem.

Anno DCCCCXVII. Calendis Octobris, Reginvardus fatis abripitur, & Unno, vir sanctissimus, infulam adipiscitur.

Circa Annum DCCCCXVIII. Christianissimus Daniæ rex Froto, primam Arusiæ fabricat Ecclesiam. Illo autem vitâ functo, impiissimus Gormo totum naëtus regni dominium, in Christianos truculenter sæviebat, & Ecclesiæ subvertebat, nequicquam ipsum Thyra conjugé, Edvardi seu Edelbrandi regis Anglii filiâ, fœminâ religiosissimâ, identidem dehortante.

Anno DCCCCXX. Haraldum Gormo filium in regiminis Danici ad-

misit consortium; sed alter filiorum Canutus, partem Angliae Danis subiectæ administrat.

Circa annum DCCCCXXII. Thiodolphus Frode, poëta & historicus Scondianæ, pro illo non spernendus ævo, genealogiam Haraldi Pulchricomi, à Freyero Scondiorum numine conatus est deducere, non tamen continua serie; siquidem constet ipsum personas non paucas omisisse.

Anno DCCCCXXV. Haraldus Norvegiæ monarcha, Haquinum ex concubina genitum filium, Adelstenio Anglorum regi commisit educandum; Qui de sacro illic fonte levatus, Haquinus Adelstenius, jussu educatoris appellatur.

Anno DCCCCXXVI. Ulfliotus nobili apud Islandos genere prognatus, legum exemplar Noricarum in patriam attulit.

Anno DCCCCXXVIII. Legum codex Islandicarum, præsidente Torlepho, juris patrii consultissimo, ad Norvegicum conformatur exemplar, eratque tantus juris Islandici rigor, ut basium fœminæ invitæ imprimenti, exilium comminaretur.

Anno DCCCCXXX. Primus Islandiæ designatur Nomophylax, Nafnerus, hincque ad annum MCCLXII in eodem habuit officio, XXXVIII successores, pro veteri Scondiorum consuetudine, qui morum Judaicæ æmulati Reipublicæ, supremos regnorum magistratus, suos agnoverunt Judices, quos Lagmaderos illi appellarunt.

Haraldus Pulchricomus, capulo jam propinquus, Ericum primogenitum nominat successorem, & Gormonis Dani filiam, Gunildam, procurat illi uxorem.

Anno DCCCCXXXI. Henricus Germaniæ rex, Gormonis sævitia Christianos nimium in Dania & Saxonia persequens, permotus, armis compellit tyrannum, ad concedendum illic Christianis libera religionis exercitia, & limitem Danos, Saxonesque inter Slesvici agnoscendum. Ibi autem pro excursione Danorum reprimenda, fundat propugnaculum, munit illud præsidio; Marchionatum instituit; Ecclesiamque instauratam Herico demandat presbytero.

Hac plurimum gavisus occasione Unno, Bremensis Archiepiscopus, qui sævitia hactenus Gormonis impeditus, Scondiis Euangelium non annunciat, mox Daniam ingreditur, ubi annis aliquot sua prædicatione multos Christo fuit lucratus, quorum potissimus erat Haraldus regis filius; Qui matris cooperatione vero credit Deo, baptismi tamen susceptionem prorogavit.

Anno DCCCCXXXII. Potentissimus Norvegiæ rex Haraldus, circa veri agnitionem Numinis, ut arbitror, naturæ persolvit debitum, XXI relinquens in regno filios, præter filias, ex septeno susceptas connubio.

Anno DCCCCXXXIII. Ericus primogenitus, plenum Norvegiæ dominium affecitus, ut illo securior potiretur, fratrum plerosque de medio tollit, Tryggone, Gudroto & Haquino mortem evadentibus. Ideo ipsum Norvegi vehementer detestati, securim appellant fraterno cruentatam sanguine, & Haquinum Adelstenium advocant ex Anglia; cumque Anglorum mox adventantem subsidio, ad thronum regni sublevant, Erico in exilium migrante.

Haquinus regum Noricorum primus Christianus, XXVI regnans annis, multam navat operam patriæ ad Christum convertendæ. Verum regni optimatibus idolatriæ, heu nimium studiosis! contumaciter oblitantibus, modicum profecit; Quibus nihilominus extitit clarissimus, ob leges æquissimas, & vitæ innocentiam.

Anno DCCGCXXXIV. Gormo morte Canuti filii, propria magis vita dilecti, perceptâ, animam Christianis indignam sacris efflavit, & Haraldus plena regni habenas arripuit.

Anno DCCCCXXXV. Ecclesiam Daniæ Haraldo regi catecumeno commendans Unno, in Sueoniam proficiscitur, quò secundum Remberti obitum, nemo ausus fuit penetrare, & illuc perveniens, Gothos, Sueonesque Christi propemodum oblitos, follicite informat, ac confirmat, permisso Ingonis, qui admodum senex cum filio Erico & Emundo nepote hic rerum adhuc potiebatur.

Anno DCCCCXXXVI. B. Unno meditans reversionem, negotio religionis in Suecia probè constituto, Byrcæ lethalem contrahit ægritudinem, & Septembri mense, faustum reddidit Creatori spiritum, illicque decenter corpus terræ mandatum, præter caput, quod Bremam mœsti reportarunt discipuli, ibi solenniter à successore humatum Adeldago.

Mense autem priori, Ericus rex Norvegiæ profugus, piraticæ indulgens, impiam in ea exhalat animam, & uxor, liberique superstites, ad fratrem & avunculum, in Daniam confugiunt, Haraldum.

Anno DCCCCXL. Ingo Sueonum rex in bello cecidit, in throno Sueciæ, Gothiæque successores habens Ericum filium, & Emundum ex ipso nepotem. Ille porro cognomen à ventoso naëtus est pileo, quod magicæ artis peritissimus, quocunque obverteret mitram, inde protinus auram consequeretur optatam. Idem quoque vanorum cultor numinum pertinacissimus, impiissimusque, cuique Deorum peculiares ordinavit sacrificulos.

Anno DCCCCXLIV. Haraldus Danorum rex, immemor paëti cum Henrico rege per Gormonem facti quondam parentem, Slesvicum invadit, & profligato inde Saxonum præsidio, Haricoque præsule, ditionem cum urbe Danis restituit, ac limitem alium constituit.

Anno DCCCCXLVI. Danus in auxilium vocatus à Richardo minoranni, Rolphonis abnepote, contra Ludovicum regem, à Scondiis Normanniam recuperare molientem, illuc advolat, & prælio commisso, capitur Gallus, moxque dimittitur, spondens Richardo liberam Normaniæ possessionem.

Anno DCCCCXLVII. Storbernus regis Beronis filius, cum Erico ventoso suo congressus ametino, in Daniam fugatur, redeuntique conquerens Haraldo sororio, ob abrogatam sibi portionem regni Suetici, opem flagitat in Ericum.

Anno DCCCCXLVIII. Haraldus levirum ditioni restituturus, Gothiam versus armatâ navigat classe. Interea vero Cæsar Otto cladem vindicaturus Slesvico illatam, Jutiam populatur. Quod Haraldus inaudiens, festinus regreditur, & hosti congreditur, à quo debellatus, Daniam in feudum suscipere, ac baptismum cum uxore, filioque Suenone percipere compellitur, in profluente sub Flensburgo, non Issefiordio, administratum. Quando patrini fungens Imperator officio, Haraldi filium de suo curat nomine appellari Suenottonem, qui non eâ, quâ pater adhaësit constantiâ, religioni. Deinde curam Otto Slesvicensis Ecclesiæ, gentiumque finitimarum, Marco commendat presbytero, qui Holfatis, Vagriis & Oldenburghibus Euangelium prædicavit, Haraldumque fortassis lustravit, & signa Imperator convertit victoriosa. Storbernus interim ope destitutus sororii, in gratiam cum Erico rediit, præfecturâ quadam regni imperatrâ.

Anno DCCCCXLIX. Agapitus Præsul Romanus, Adeldago gentium

tium conversionem borealium impensè gratulatur, & ad porrò laborandum in vinea Domini hortatur; privilegia confirmat, & ordinandi per Scondiam Episcopos impertit ipsi facultatem. Hinc Archiepiscopus cum Cæfare ac rege consultat, de fundandis in Dania passim certis Episcopatis, & per Scondiam destinat quaquaversum concionatores, Stercolphum, Folchbertum, Adalbertum & Merrham, ab ipso etiam Episcopos forte initios.

Cæterum Haraldus Cæfareo fretus auxilio, ternas in Dania instituit Episcopas, videlicet Slesvicensem, Ripensem & Arhusiensem, quibus Adeldagus totidem contulit Antistites, Haroldum, Lifdagum & Reinbrandum. Existimant quidam simul Ottonensem quoque fundatam cathedram, deque imperatoris forsitan nomine vocatam, sed primum haud nominant illius Antistitem; Verius tamen quod postmodum, & quidem ante DCCCCXCVI annum. His vero primis Daniae Præfulibus, inspectio simul demenda Sueciæ, Norvegiæ, Sielandiæ & Scaniæ. Itaque Bruno Coloniensium Archiepiscopus, Hamburgensi tot etiam Episcopas subesse indignatus, veterem super Brema renovat controversiam; verum sibi hac ex parte Romanum Pontificem, & parentem Cæfarem adversari compieriens, litem seposuit odiosam.

Quando Haraldus rex clarissimus Selandiæ misertus, nullam habenti Ecclesiam, Roschildiæ primam ex lignis affabre fundavit, honori sanctissimæ Trinitatis dedicatam.

Hoc insuper seculi currentis spacio, Ericus Suecorum princeps bellicosissimus, in Gothia morti succubuit, Emundo & Erico filiis sceptrum Gothorum Sueonumque capeffentibus. Et ille quidem Haraldo singulari amico gratificaturus postulanti, Christianis huc venientibus identem Doctoribus fuit admodum benignus, & fortassis ipsorum exhortatione fuit conversus.

Anno DCCCCLIX. Haraldus Erici olim in exilio mortui filius, copias nactus in Dania auxiliares, Norvegiam invadit, illique occurrens Haquinus, adversarium in fugam avertit, & victor fugientem insequens, lethaliter vulneratur, ac eodem moritur scopulo, in quo prius nascitur, tamque inimicorum, quam amicorum, de tanti principis interitu querentium, cum lacrymis sepelitur.

Anno DCCCCLX. Haraldus Norvegiæ potitus, feuda patruelibus confirmat, unâque Sivardo Jerl. Quod ægrè ferens mater Haraldi, filium in necem Sivardi propellit, ob eamque nefariè perpetratam, filius Sivardi superstes, Haquinus, triennio Haraldum impugnat, ac tandem fugatur in Daniam. Unde Haraldus liberatus æmulo, Tryggonem & Gudrotum, patruoles, etiam trucidat; Sed uxores cum filiis sibi fugâ consulunt, ac illius quidem conjux secum dicens Olaum filium, in Russiam incolumis evasit; hujus autem defertur in Sueciam, cum filio Haraldo, S. Olai parente.

Thyra prælustris heroina, Gormonis regis vidua, vallum, quod Daniam ab Holsatia disternit, vetustate collapsum, restauravit.

Helena vero Russorum princeps, nuper Constantinopoli baptizata, legatis ad Ottonem expeditis, synceros poscit Euangeli doctores, & missus quidam Albertus Episcopus, à genteque perfida & schismatica, male illic exceptus, revertitur.

Anno DCCCCLXIV. Folbertus à conversione revocatus pagorum, mortuo subrogatur Haroldo Slesvici, II. ibi Episcopus evadens.

Hunc etiam prope annum, S. Leofdagus Ripensem Antistes, illic furore gentilium occubuit, & multis diu miraculis emicuit, huncque

Nor-

Norvegi Apostolum quoque venerantur, prout Suecia Ottincarum seniorum, qui S. Leofdago Ripæ subordinatur. Atqui post Reinbrandi obitum, Arhusia multis caruit annis Episcopo, Ripensi obtemperans interim.

Anno DCCCCLXX. Richardus Normanniæ princeps, novis à Gallo impetus insidiis, iterum Haraldi flagitat auxilium, quo prævaluit adversariis, gratiamque Danis relatus, magnam Normanniæ portionem ipsis deputavit incolendam, & Gunrotam ex Dania virginem nobilissimam, sibi connubio sociavit; Quæ præter alios illi genuit liberos, Emmam, Edelredo Anglorum regi posteā nuptam, Edvardi matrem.

Anno DCCCCLXXI. Diocesin imperator Oldenburgensem subdit quoque Hamburgensi Archiepiscopo, quam Adaldagus Edvardo commisit Antiftiti.

Anno DCCCCLXXIV. Fraudulento Haquini Jerl consilio, in Dianam accitus Norvegiæ rex Haraldus, jussu avunculi trucidatur, & Haraldus, fratre regis Danici Canuto procreatus, eodem suafore, Norvegiam ambiente, suspenditur, indeque consultor Haquinus ab Haraldo Danorum monarcha, Norvegiam jure beneficiario consequitur, quam non paucis gubernavit annis, per summam tyrannidem. Ideo malignus, & propter immensas, quas corrasit per fas, nefasque divitias, Opulentus vocabatur. Verum quod fidem, quâ in Dania fuerat imbutus, abjuraverit Christianam, posteri Haquinum apostamatam ipsum quoque appellarent. Nihilominus tamen Haraldi mandato, Christicolis Norvegiæ fuit benignus.

Interea bini athletæ fortissimi, Julino in Norvegiam profecti, admiranda illic fortitudinis specimina ediderunt, donec à prorege Haquino trucidati, singularem illi nominis gloriam pepererunt. Enimvero & Haquinus, ut gigantum fuerat progenies, ita viribus corporisque mole suos æquavit maiores, cuius genitū deducit Evindarus poëta ad Hemingum, Othini filium, & M. Adamus illi Freyerum, Scondiæ numen, assignat genearcham.

Hoc etiam anno memorat Schafnaburgius, Haraldum Daniæ regem ab Imperatore prope Slesvicum, bello fuisse exceptum, pugnæ subticens catastrophen.

Anno DCCCCLXXX. Proceres Danorum, Haraldo rigidius Christianæ religionis observationem mandanti, vehementer offensi, filio ipsius Suenoni, repudiationem fidei, & impugnationem parentis, persuaserunt; Qua Christianissimus occubuit princeps, Calendis Novembris, & Roschildiæ illatus sepulchro, non obscuris innocentia ac sanctimoniae enituit argumentis. Impiissimus vero filius regnum adeptus universum, Ecclesiam Christi truculenter persequebatur, Folchberto & Ottincharo propterea Bremam ex Dania profugientibus Episcopis; Ac ne illic interea ociarentur, hunc Adaldagus in Suioram, & illum expedivit in Norvegiam cum plurimarum lucro animarum; Sed ipsemet tyrannum accedens Suenottonem, frustra ipsum ad saniorem revocare mentem conabatur.

Wlademirus Moschoviæ princeps, acceptâ in matrimonium Annâ, Basili & Constantini, Græcorum sorore Imperatorum, unâ fidem suscipit Christianam, Russique omnes, multis vitiatam erroribus; Quam haec tenus tamen posteri mordicūs observarunt, & novis interim cumularunt.

Circa annum DCCCCLXXXI. Sueno blanditiis aggressus Edmundum Sueciæ regem, ipsum fraudulenter permovit ad subscribendum iniqæ limitum designationi, qua Scania, Blechingia & Hallandia regno

Gothorum fuerunt avulsæ. Hinc Emundus cognomentum Slemma natus, hoc est, provinciarum dilapidator. Etsi mox pœnitentiâ ductus, armis ditiones recuperare fuit conatus, quo in conflictu vitam & vietoriam simul amiserat.

Anno DCCCCLXXXII. Viator hinc elatus Suenotto, in Julinenses, Danis subesse recusantes, arma convertit, à quibus captus, lytro insigni numerato, liberatur.

Torvaldus Islandus, in Saxonia Christo lucratus, inde secum adduxit in patriam quandam Fridericum, novæ peritiorem religionis; Quo admittente, plurimi Islandorum idola contemnentes, Christo nomina derunt.

Anno DCCCCLXXXIII. Sueno vindictæ cupidus, Julinenses demum invadit, ope Burislevi Vandalorum regis suffultos, & superatus ab hostibus capit, auroque permulto libertatem secundo impetravit. Quamobrem furore magis succensus, tertio eosdem, pari tamen successu, impugnavit, cuius misertæ Danorum fœminæ opulentiores, congestis monilibus, captivum redemerunt principem, lytri precio destitutum; Quibus Sueno gratiam relaturus, illis facultatem impertivit capessendi æqualem cum viris cohæredibus, hæreditatem, quâ deinceps usæ sunt prærogativâ.

Anno DCCCCLXXXIV. Ericus frater & successor Emundi, in Sueciæ ac Gothiæ regnis, tanto Suenonis infortunio sibi commodam ratus occasionem esse oblatam, avulsas recuperandi provincias, ipsum aggreditur, & trinâ potitus victoriâ, non Sciam modo, Blechingiam & Hallandiam, sed totum Daniæ regnum suæ fecit jurisdictionis, adversario in Irlandiam profugiente, ubi novennio extorris delituit. Ita Deus rebellionem Suenonis in parentem, & apostasiam multatavit. Verum Ericus Sueciæ, Gothiæ, Daniæ & Norvegiæ præpotens jam monarcha, ex his aliisque victoriis, cognomento Victoriosus decoratur.

In Islandia, zelo Torvaldi & Friderici, passim ædes sacræ fabricantur. Hinc autem post biennium, Torvaldo Hierosolymam peregrinante, res illic Christiana elangvit.

Anno DCCCCLXXXV. Ericus amplissimo Scondiæ non contentus imperio, armis quoque Anglos, Slavos & Estones, Curlanosque sibi tentat subjicare, sub hoc autem erupit rege quædam ex Scondia piratarum colluvies, dicta vulgo Ascomannica, quam Sigefridus Marchio, suis infestam ditionibus, aggressus, XX Ascomannorum millia cecidit.

Anno DCCCCLXXXVI. Cum Ericus Scondiæ monarcha, Christianis non esset in ea mitior, quam fuerat Sueno, Saxoniamque crebro infestaret, Otto III illud ægerrimè ferens, ferro ipsum perdomuit, & fœderis socium reddidit. Itaque religiosus imperator, ut aliquam Deo pro victoria gratiam referret, missò ad fœderatum regem episcopo, Poppone, viro sanctissimo, hortatur pro amicitia ipsum ad suscipienda Christianorum sacra. Erico autem Daniæque populo signa poscentibus, fidei veritatem adstruentia, præful, in conspectu omnium, carentes in primis ex ferro chirotechas, & deinde flagrans cerâ, igneque indusum, nudis manibus, corporeque gestavit reliquo illæsus, ac Christianæ veritatem religionis spectatoribus luculenter monstravit.

Quo permotus miraculo Ericus, cum innumera Scondiorum frequentiâ, undis prope Roschildiam lustratur Issefiordensibus, & hinc alterum nanciscitur cognomentum. Etenim à crebris dictus fuit victoriis, Victoriosus, à baptismo vocatus suscepto, Stenclil, hoc est lustratus; & ab anno sub illo ubertate, appellatus fuit Frugifer. Quæ cognominum varie-

rietas, ansam præbuit Sueciæ chronographis, binos hoc loco Ericos comminiscendi. Protinus vero cessat aliquandiu Christianorum persecutio; Ecclesiæ in Scondia restaurantur; Popponi thaumaturgo cura demum datur Arhusiensis, Ripensis, Ottoniensis & Slesvicensis Ecclesiarum. Exploratio veritatis per duellum, Scondiis hactenus usitata, exterminatur, gestatioque in causa dubia, laminæ cādētis, approbatur. Præfato denique inter Ottonem & Ericum bello, sub vexillo merebat Cæfaris Olaus Trugotius; Ast Haquinus Jerl, regis adhærebat partibus, ex illoque abiens Olaus, Angliam classe incursavit, & delatus in Irlandiam, regis illuc filiam sibi sponsavit, ac ibi aliquandiu pausavit.

Anno DCCCCCLXXXVII. XVIII Martii. Imperator, quicquid sibi competeteret juris in Slesvicensem, Ripensem & Arhusiensem, Ottoniensemque Danorum Ecclesiæ, illud Adaldago impertivit archipræfuli universum, ipsas & Episcopos, horumque colonos, ab omni regia liberos pronuncians exactione, & veniam emendi prædia illis concedens.

Anno DCCCCLXXXVIII, XXVIII. Aprilis. Vitâ functo subrogatur Adaldago, Libentius, quo connivente, plurimi ex Anglia concionatores in Scondiam penetrarunt. Quando instructissima navigat classe rex Ericus, Islandos ad suam perducturus obædientiam, & Norvegiæ littoribus primum applicans, ut Haquino jungeretur armato, ab ipso ad supersedendum hac expeditione permovetur.

Anno DCCCCXCI. Auspicio regis Erici, totam belli molem in Anglos transferentis, levant Scondii primum ibi tributum, scilicet X millia talentorum.

Anno DCCCCXCII. Gentiles Daniæ offensi Erico, passim ceu idola subvertenti, & fidem Christianam zelose propaganti, rebelles insurgunt. Quos ille placaturus, licet apostasiam simularer, tamen ab Osteno, procurum uno, trucidatur, & religio in Scondia iterum perturbatur. Furori autem paganorum tantisper cedens Olaus filius, in Sueoniæ cum matre secessit Sigride, & Dani Suenonem, idololatriæ fautorem, ex Irlandia revocarunt.

Quamobrem Sueno, morte cognita Erici, Danorum suasu patriam repetit, idololatriamque restaurat collapsam. Olaus etiam Trugotius ibidem exulans, obitu similiter Erici animatus, socii auxilio Norvegiam invadit, & jugulato Haquino Jerl, filiusque ipsius fugatis in Sueoniæ, regnum subjugavit.

Anno DCCCCXCIII. Olaus, ingenti Suecorum potentia stipatus, in Daniam remeat, hancque, Suenone iterum profugiente, non difficulter sibi reddidit obædientem. Hinc Norvegus, suis pariter rebus diffidens, Sigridem Olai matrem sibi despontat, & regnum securior gubernat. Ita foris ab hostibus non metuens quidquam periculi, domi ab æmulis regni bello impetratur, quos inter Haraldus, S. Olai genitor, qui declinatus sibi structas ab Haquino Jerl insidias, ante nonnullos profugerat annos in Sueiam, ubi piratarum cohortibus congregatis, Oceanum hactenus fuit obvagatus, & nunc in patriam revocatus, Olao feso opposuit, Sunlandiæque provinciam obtinuit. Quâ tamen mox spoliatus, in Sueiam revertitur, & Upsaliæ dolo Sigridis exuritur, quod illi, vel sponso forsitan obloqueretur.

Anno DCCCCXCIV. Suenotto, pristinâ cum Olao fatus amicitia, exul Norvegiam adiit, quem ille velut hostem privigni repulit. Itaque Sueno cum Anslavo, Norvegiæ regulo, etiam extorre, junctis copiis, mense Septembri in Angliam appellit. Sed neque illic hospitio suscepitus ab Edelredo, quod Anglus Olao, Sueciæ & Daniæ regi, esset confederatus, in Scotiam concessit, ubi benignius suscipitur, & paucis moratur annis.

Circa annum DCCCCXCV. Olaus Sueonum, Danorumque, & Olaus Noricorum incliti reges, Christo nomina dare cupientes, Johannem & Siguardum, Angliae præfules, ab Edelredo rege impetrarunt, illorumque operâ probè informati & baptizati, subditis fidem populis sedulò inculcarunt; Quam tamen Sigridis pro tempore amplexari recusavit. Quando etiam Norvegus prima Nedrosianæ urbis, habitationisque regiæ collocat fundamenta, templo simul ibi, primo in Norvegia, fabricato. Corpora insuper sanctorum in Selio nunc primum innotuerunt, quorum calvariam unam signis proditam, & inde propterea per ethnicos allatam, Olaus aræ venerabundus imposuit Nidrosiensi.

Anno DCCCCXCVI. Olaus in Seliūm cum Sivardo regni episcopo, multisque Christianorum profectus, invenit integrum B. Sunivæ corpus, quod in templo, protinus ibi suscitato, decenter condidit.

Nec minus ille sollicitus de Islandorum & Gronlandorum conversione, illuc destinat Stephnerum Islandum, in Norvegia Christo initiatum, illiusque prædicatione multos Deo vero lucratur.

Interea quoque Suenotto in Scotia reversus ad cor, suam in Deum perfidiam agnoscit, & scelerum pœnitens, in gratiam cum illo, Ecclesiaque rediit. Deinde pro sua considerans prudentia, Daniam non sibi facilis, quam connubio reginæ Sigridis impetrato, restituendam, occultis illud nunciis dissuadet Ola Norvego, & suam ipsi filiam fraudulenter defert uxorem. Ille autem fraudis ignarus, oblatam cupidè amplexatur promissionem, & sub ethnicæ prætextu religionis, sponsam repudiavit Sigridem, insigni præterea affectam contumeliâ.

Circa annum DCCCCXCVII. Dolum Sueno sibi pro voto cessisse plurimum lætatus, Sigridem poscit conjugem, obtinetque, & cum ipsa thronum Daniæ recuperat, non invito privigni consensu, inconstantiam Norvegi vehementer execrantis. Neque minus Suenonis fraudem Olaus detestatur, & dolum dolo compensatur, Thyram, Dani filiam, nuper Burislavo Vandalorum principi nuptam, donis & blanditiis clam in sui adeō pellexit amorem, ut marito illa deserto, in Norvegiā ad Olaum profugeret.

His Olaus turbis non immemor, fidei apud Islandos, Gronlandosque proseminandæ, illorum plurimos, industriâ Tangbrandi sacerdotis eò destinati, ad Christum perduxit. Et cognoscens primarios in his insulis viros quosdam, religionis obsistere innovationi, ipsos honorifice in Norvegiā invitatos, sedulò informatos, lustratos & insigniter donatos, in patriam remisit, cum maximo idololatriæ detimento.

Anno DCCCCXCVIII. Ferogiensis insulæ populus, Islandis vicinus, zelo pariter Olai regis, ad sacra Christianorum suscipienda, hactenus stimulatus, ac in iis fideliter eruditus, idolis nunc demum contemptis, in Christum verum Deum credidit universus. Hoc etiam tempore Olaus Sueonum rex, Estridem, Boleslai Polonici filiam principis, duxerat uxorem, quæ Anundum genuit, Ingerdem & Estridem. Sed Amundum, Olaus ex concubina prius suscepérat.

Circa annum DCCCCXCIX. Olaus Sueciæ, & Sueno Daniæ reges potentissimi, sacrum pangunt fœdus, de religione non suis duntaxat regnis proferenda, & stabilienda, sed quoque ad exterias Christo adversarias dilatanda regiones. Unde Suecus, suo difficulter voto satisfactum iri considerans, quamdiu idololatria Upsaliæ floraret, ipsius ac famosi pariter illic fani clanculum machinatur subversionem. Quam subodorantes & metuentes pagani, obsecrant regem, ut aliam pro arbitrio eligat regionem in Suecia vel Gothia, Christianorum idoneam commorationi, nec idola sub-

verteret Upfalenſia, vel aliquem cogeret invitum ad ſacra fuſcipienda peregrina. Illorum porro conſentit precibus Olaus, rebellionem ſubveritus, & Veftrgothiam eligit, urbemque pro metropoli Scarinam.

Pro eodem defudans pariter negotio in Norvegia Olaus alter, plenariam fermè Gronlandorum procurat conveſionem. Verum Islandis nec dum illuminatis, Giferum & Hialtum Christianos, magna authoritatis viros, præficit concionatores; Qui Thorgerum, iſulæ nomophylacem, & ſupremum gubernatorem, inprimis ad Christum pertraxerunt.

Anno M. Thorgerus, Islandis in concionem vocatis, Christiani dogmatis manifeſtat veritatem, & idolorum prodit vanitatem, indeque populus perſuafus, idololatriæ affentitur extirpationi, & fidei Christianæ ſubſcribit propagationi, ad baptismi lavacrum properans universus.

Olaus Sueonum rex, hoc circa tempus, Gothiæ regnum in provinciam redigit, Sueoniæ perpeſuò ſubjiciendam, ne amplius illa regnorum diſtinctio, priſtas bellorum produceret imposterum calamitates. Hinc per multo deinceps tempore, nec titulum, reges Suetici, Gothicum uſurparunt.

Norvegus interea ſe adeò turpiter à Dano nuper delufum indignans, arma in iſum molitur, & Sueno conjugis deſpec̄tionem, filiæ ſeductionem, & Norvegiæ ſubactionem, Danis multo tempore prius ſubjectæ, quoque vindicaturus, advocate in ſubſidium privigno, immensam ex Dania & Suecia claſſem producit contra adverſarium, in freto Cimbrico hoſtes animoſe præſtolantem. Quamobrem autumni tempore, Norvegus Danis & Suecis hic congreſſus, profligatur, clamque de prælio evadens, in Syriam peregrinatur, ubi monaſticen professus, vitam religioſe finivit. Victores autem, Sueno, Olaus & Ericus, Haquini Jerl filius, Norvegiā inter ſe diſiſerunt. Ita pariter luit Olaus Trugotius occiſionem Haquini Jerl, & quod extorri denegaffet antea Suenoni auxilium. Nec conjunx Thyra ſuum tulit impunè ſcelus, quæ famis interiit acerbitate. Sed novi Norvegiæ domini, publico mandarunt incolis edicto, fidei fuſceptionem Christianæ, Gothebaldum ex Anglia vocatum epifcopum, iſis doctorem aſſignantes.

Cæterum S. Olaus in diſiōne exclusus Norvegiæ, ex Anglia modo in Normanniam abiit, Vilhelmuſ illius principem, & ſuum cognatum inviſurus, ubi exhortatione Roberti, Rotomagenſium præſulis commotus, ſacrum ab ipſo baptiſma fuſcipit, & vitam deinceps Christiano dignam iſtituit.

Anno MI. Scondii, commilitones S. Olai, ex Normannia in Angliam reverſi, Edelredum & incolas multipliciter affixerunt, donec XXIV milibus marcarum acceptis, paulisper conqüiescerent.

Anno MII. Edelredus, Scondios nihil diſcriminis ibi formidantes, fraudulenter aggressus, quotquot illorum depræhendit, trucidavit, nec ætati, nec ſexui, ullam ducens rationem.

Anno MIII. Tam indigna ſuorum clade, Sueno, Olaus, & Ericus Jerl, Dania, Sueciæ, Norvegiæque reges, merito provocati, bello Edelredum adoriri conſtituunt, illique Sueno præfectus, alias Anglo propter ſuam offenſus repulſionem, decennio iſum graviter cruciavit. Et Suenonis interea S. Olaus militiam fecutus, ſtrenuam illi navat operam, confidens aliquantulam Norvegiæ portionem, tali ſe obfequio promerituruſ.

Anno MVI. Exercenda conſuetudo monomachiæ, pro veritate haetenus elicienda, velut minus æqua, proſcribitur ex Islandia.

Anno MX. Jutia in binas duntaxat Epifcopas diuiditur, ceſſante Arhuiſensi & Ottoniensi; Quando in Scondiam Sueno destinavit ex Anglia Gerbrandum, ab Elnoto Cantuarienſium Archipræſule confeſcratum Anti-

stitem, qui Selandis atque Scanis aliquandiu cœlestia pandebat oracula, velut Asmundus Sueonibus, unà huc ex Anglia adveniens.

Anno MXI. Ericus Jerl opem Suenoni latus, copias per Oceanum traducit in Angliam, filio Suenoni & Haquino germano, suam in Norvegia ditionem committens gubernandam. Itaque S. Olaus de auxilio Suenottonis desperans, Erico absente Norvegiam decretivit subjugare, illamque frustrà, paucis stipatis copiis, impugnavit.

Anno MXII. S. Olaus in patria repulsam passus, & naētus quædam à Sivardo vitrico subsidia, paternam de Sueonibus mortem statuit ulcisci, hacque populatur æstate accolas Meleri lacus; Verum autumni tempore, ab exercitu Suetici regis, sibi redditum comperiens per Stoksfundium esse prohibitum, isthmo Agnifitiæ noctu perfozzo, in oceanum salvus evasit, ac sub Gotlandia perhyemavit. Ita vero isthmus effossus, flumini præbuit Stocholmiæ australi exordium.

Roschildensis in Dania fertur hoc fundata tempore Episcopa, sumptibus Suenottonis, primumque accepisse præfulem Gerbrandum. Crypta etiam Lundensis ab eodem perhibetur rege nunc inchoata, inque ipsa Bernhardum Anglum requiescere.

Anno MXIII. Hybernam sub Gotlandia S. Olaus deferens stationem, Angliæ proras obvertit, & timens vindictam Suenonis ob clades Norvegiæ ac Sueoniæ illatas, Edelredi cœpit partibus adhærere. Modò tamen Danus totâ potitus Angliâ, horrendam in incolas exercet tyrannidem. Verum IV Januarii, Libentius Scondiæ Archimandrita, Bremæ decessit, & Unvannus cathedralm accessit, qui Olao Sueonum regi Christianissimo amicifimus, plurimis sæpius ab illo donatur mnemosynis.

Anno MXIV. Sueno contumeliosus in S. Edmundum, ab illo se confodi palam vociferatur, & miseram actutum efflavit animam, & corpus Eboraci tumulatur.

Mox parenti Canutus, III Februarii, in throno Angliæ subrogatur, qui minus potens ad reprimendum Anglos, Edelredo protinus adhærentes, auxiliares ex Scondia copias adducere cogitavit. Ericus Jerl nunc quoque vitam in Anglia morte commutavit, & filius Norvegiæ provinciam acceptavit gubernandam.

Anno MXV. Canutus nuper in Scondiam reversus, præter insignem ex Dania collectum exercitum, ab Olao fratre, Sueonum & Noricorum rege, non contempendas accepit cohortes, quibus cum in Angliam regressus, Edelredo multum negotii faceſſit.

Hoc etiam tempore Unvannus, assensu regis Olai, Scaram Vestrogothiæ constituit regni metropolim, illic Thurgothum deputans primum antistitem; Qui Estridem, Olai conjugem, Anundum filium in baptismo Jacobi nomine donatum, & binas filias, Ingardem ac Estridem, Emundumque ex concubina genitum, fonte sacro abluit. Thurgothus deinde prædicatione accingens, multos Vestrogothorum ad ovile Christi pertraxit, tantumque cœpit ibi religio incrementum Christiana, ut post decennium, MC per Vestrogothiam constructæ viserentur passim ecclesiae. Unde nusquam in Scondia, etiam hodiè tot conspiciuntur templa, quot in Vestrogothia.

Annum circa MXVI. Ingardis Olai filia, Jarislavo Novogardiæ nupserat duci, quæ neptis fuit Boleslai Polonorum principis; proneptis vero Geisæ, Ungarorum regis.

Egelrado Anglorum regi diem mors dixit supremum, & commilito ipsius S. Olaus, in Normanniam profectus, filios Angli, Edmundum & Edvinum, in patriam reducit, contraque Canutum producit. Hic proinde se parum aperto marte effecturum considerans, ad alias confugit artes, & spon-

spondet S. Olao portionem Angliae, Novegiæque, si Edmundum suo vellet inducere consilio, ad divisionem regni faciendam. Obtemperat Olaus; Anglia, svasu illius, Edmundum & Canutum inter distribuitur, & tamen consultor nihil ex ea consequitur. Ideoque succensens graviter Canuto, comparata classe, militeque Norvegiam acriter impugnat, expugnat, atque hac occupat æstate, vitrici & quorundam auxilio procerum. Adversariorum vero primarios occidit, & Suenonem Erici Jerl filium in Sueciam, Haquinumque in Angliam profugere compellit; Ipse met Nidrofiam ex Vicia profectus sub tempus brumæ, civitatem restaurat; Ecclesiæ S. Clementis illic suscitat; Leges Haquini Adelstenii nonnihil auctas denuo promulgat, & cultum abrogat idolorum ubique, ac reluctantes huic pio mandato, vitâ bonisque spoliat.

Anno MXVII. Suecus Norvegiam recuperaturus, illuc ablegat exercitum, qui, ductore in via mortuo, quem existimo Suenonem Jerl extitisse, in Sueciam delabitur. Norvegus autem illa liberatus formidine, prohibet servitoribus Sueci census levare, & monitus, ut se igitur vasallum Canuti & Olai agnosceret, præcisè abnuit, bellumque ipsis denunciavit, & Norvegis mercimonia cum Suecis quælibet interdicit. Hoc itaque incommodo uterque commotus populus, crebrisque suorum cædis, & bonorum direptionibus, reges ad pacem feriò hortatur, tali proposito transactionis medio, nimirum, ut Norvegus filiam posceret Sueci uxorem, & cum ipsa tranquillam regni possessionem. Quod hic in primis proterve rejicit consilium, & demum à conjuge, Ragvaldo Vestrogothiæ comite; Optimatibus aliis, & reliquis incolarum, persvasus, consentit, Estridisque Tonsbergam honorifice destinata, Olao copulatur, & pax comprobatur. Quâ Norvegus, focero vivente, fruebatur illibatâ, interea sedulam religionis propagationi per se, aliosque impendens operam. Quando rigidis admodum S. Olai edictis in idololatras prolatis, bini regulorum offensi, rebellarunt, & ipsis protinus superatis, uni oculos eruit, ac alteri linguam præscidit, ita gentilium compescens tumultus, Christumque ipse met pagatim incolis annuncians.

Canutus jam cognomento Magnus, per obitum Edmundi, monarcha factus Angliae, ut incolas sibi redderet fideliores, Emmam Normanniæ principis filiam, & viduam Edelredi, sibi conjugem delegit, matrem Canuti ac Gunildæ. Verum ex altera uxore vel pellice, Alsuina, suscepit Haraldum & Suenonem. Filios vero Edmundi competitores throni Anglii propinquiores, regi Sueonum misit perdendos, quorum ille misertus, eos Stephano affini Ungarorum regi, commisit educandos.

Odincarus Junior, insigni adolescens indole, à Canuto agnato vocatur in Angliam, illic Philosophiæ operam daturus. Verum senior Odincarus, præful multæ scientiæ & sanctimoniacæ, ac filius Tochi, Vensyfelsenium in Jutia Ducis filius, jam Bremæ mundo valedixerat.

Anno MXIX. Canutus, pacatâ haetenus Angliâ, Daniam invisit, quando Norvegiam S. Olao ademisset, nisi filiam Olai fratris habuisset uxorem. Hac de causa ipsi reconciliatus, poscenti spondet se missurum ex Anglia concionatores, & Olao Sueonum regi, Scondici gnares sermonis.

Anno MXX. Canutus in Angliam reversus, nec immemor promisfi, Regnerum, ab Elnoto Cantuariensium Archipræfule, consecratum Antistitem, destinavit in Daniam, qui Ottoniensem consequitur cathedram; Grimchilum in Norvegiam, ac B. Sigfridum ab Eboracensi ad Episcopalem promotum fortassis dignitatem Archiepiscopo, in Sueciam ablegavit; Isque Deo percharus episcopus, per Daniam ingressus Gothiam australiem, comitibus Vinamanno, Unamanno & Sunamanno, sua de forore vel

vel fratre genitis, atque ordinis Cluniacensium sectatoribus, mox indegenas Verendiæ cœpit Christi nomine compellare. Hic aliquandiu subsistens, non paucos convertit Gothorum, & visione per somnium monitus angelica, in fundo, vulgariter Ostrabo, & monte Gelboge dictis, fabricat ecclesiam, quam, neophytosque præfatis commendat monachis, & accitus à rege Olao Scaram festinat. Ille siquidem Vestrogothiā magis delectatus Christiana, Scaræ libentius, sicut etiam propinquis in arcibus, Aranesensi videlicet & Husbysensi, pro tempore morabatur. Quem successores in throno imitati, plus quam annis deinceps centum, Vestrogothiam regiâ frequentius dignabantur mansione, causaque inducti eadem, non Scaram solum, Husbyfium & Aranesium interea temporis, & diutius, incoluerunt, sed etiam Levenum, Ingatorpium, ac Visingensem inhabitarunt insulam.

Sanctus vero Sigfridus ad Christianissimum perveniens regem, velut angelus cœlo missus, suscipitur, & ab ipso rogatus, pro fidelium sepultura, trina illic cœmiteria consecravit, nimirum in Fricheracher, Girhem & Angerstad. Nec solum Gothi, Sueonesque, B. Sigfridum agnoscunt Apostolum, sed etiam Norvegi, quod hos subinde pariter inviserit; illorum conversione ac S. Olai conversatione plurimum delectatus; Præcipue tamen pro Suecorum & Gothorum salute desudavit annis plurimis, apud hos tandem sibi continuam deligens mansionem.

Anno MXXI. Unvannus Scondiæ metropolitanus, ægre admodum tulit, quod hoc Canutus, se inconsulto, tot ex Anglia destinaret prædicatores. Illius porro indignationem Norvegus, plus quam Anglus formidans, Grimchilum Bremam quantocytus ablegat, hacque motus obædientiâ Unvannus, & simul perpendens, quam messis Scondiæ copiosa, raros haberet operarios, Anglosque Scondicæ peritos linguae, huic magis negotio idoneos esse, quam Saxones aut Belgas considerans; Grimchilum fibi fidelitatis juramento obstrictum, in Norvegiam remisit.

Circa annum MXXII. Pagani Verendiæ, propter injunctam adulteræ pœnitentiam, & sibi negatam cum fidelibus sepulturam, utque preciosa Ecclesiæ potirentur suppellectile, relictos ibi à B. Sigfrido viros religiosissimos, innocentissimosque occiderunt, & opibus Ecclesiæ direptis, detruncata cæforum capita, urnis inclusa saxo gravatis, stagno propinquò demerserunt. Quo percussus nuncio episcopus, regis implorat opem, huicque cum exercitu in gentis totius extirpationem adventanti, fiunt supplices Verendenses, & veniam obtinent B. præfulis intercessione, auri multum contributi; Quod acceptare nolens B. Sigfridus, illius loco amplissimos impetrat fundos ab Olao, aurum capeſſente, in Hoff & Thiurby, ex quibus deinceps Episcopa fundatur Wexionensis. Gunnarus tamen Grœpa, regionis dynasta, cædis author primarius, à rege proscriptus, fugit in Blechingiam, illicque miserrimam efflavit animam, & martyrum capita signis prodita, cum lacrymis S. Antistes decenter humavit.

Gronlandi & Ferogiani se Norvegiæ submittunt, non Islandi, quamvis ipsos S. Olaus ad obædientiam sollicitasset. Illuc nihilominus, sicut etiam ad Gronlandos & Ferogienses, crebrò expedivit præcones Euangelii.

Odincarus junior infulam jure meritissimo nactus Ripensem, plurimis ipsam ornavit prædiis; Ideo privilegium obtinuit, ut superstes quamdiu foret sua prosapia, Ripensi sola cathedræ præfules esset datura. Quam verò uterque Odincarus de Scondica sunt Ecclesia præclare meriti, non silet historia, ut neque illorum in cœlo memoria & gloria sempiterna.

Anno MXXIII. Richardus Normannorum dux, à fororio Carnotensium Comite, impugnatus, opem Scondicorum regum implorat, &

con-

confanguinitatis jure classem hinc obtinet instructissimam. Sed interim, rege Gallorum sequestro, reconciliatus adversario, auxiliares remisit cohortes, insigniter ornatas & donatas.

Divus traditur Olaus prima cathedralis apud Nidrosienses, posuisse fundamenta ecclesiae, quae admirabili deinceps magnificentia, sumptuque incredibili, ad fastigium tam excellenter procreverunt, ut illa quondam basilica, inter septem orbis miracula, octavum non immerito censeretur, quae hac tempestate ne umbram quidem retinet pristini splendoris.

Circa annum MXXIV. Morte abripitur Olaus, Suecorum rex Christianissimus, & longiore dignissimus vitâ, ac Scaræ honorifico conditur tumulo, Sueonum, Gothorumque lacrymis affatim immadente. Is primus Suecorum monarcha Christianus ideo plerumque scribitur, quod zelo illius omnium maxime fuerit religio Christi per Gothiam, Sueciamque propagata, & cuilibet incolarum, ipsam suscipiendi libera concessa potestas. Cognomentum vero Scötkonung, quod gremio portabatur, & Skotkonung inde sortitus est, quod persuasione Præfulum Anglicorum, regno imposuerit, Romschot, censum videlicet Romanum, alias denarium S. Petri dictum, quotannis à quolibet indigenarum, qui trinas denariorum possideret marcas, præter vestimenta & arma, solvendum, Romamque destinandum, quæ multis observata seculis deinceps consuetudo.

Paternum protinus thronum acceptat Anundus Jacobus, juvenis quidem ætate, verum probitate ac pietate, sapientiâque quoslibet antecessorum præcedens, & favore subditorum insigniter florens. Ipso rerum in Suecia potiunte, Christi per regnum cognitio quaquaversum fuit profminata, sed postmodum fermè conculcata. Canutus autem Daniæ & Angliæ rex, obitu fratris intellecto, gaudet sibi oblatam invadendæ Norvegiae occasionem, & actutum Olao mandat, ut se vasallum Daniæ agnoscere, censusque penderet ex Norvegia annuos, vel armis ad imperata cogendum facienda. Quamobrem Norvego illud obsequium penitus aversante, bello se Canutus accingit, quod ipsum sollicitè facit quoque Olaus, ac Jacobus Sueciæ rex à sororio imploratus, patrui detestans avaritiam & perfidiam. His deinde Canutus in Scania congressus, insigni eorum stratagemate profligatur.

Anno MXXV. Canutus, quod ferro nequivit, auro effecturus, potentiores Norvegiae proceres, Olao clanculum infestos propter extirpationem idolatriæ & diabolicæ magiæ, severamque piraticæ inhibitionem, largitionibus ad suas pellexit partes. Horum itaque conspiratione, Canuti roborata subfido, sanctus princeps regno expulsus, ad charissimum in Sueciam cum uxore, liberisque secessit levirum, regem Anundum, ubi suscepitus perhumaniter. Canutus vero in Norvegiam vocatus, festinanter advenit, & regnum protinus occupatum, præregi commendat Haquino Jerl, sororis filio, inque Daniam remeat, cum triumpho non satis honeste obtento,

Hunc circiter annum B. David, audita nepotum cæde B. Sigfridi, & ipse martyrii cupidus, ex Anglia in Gothiam festinus migravit, ac non paucis in Verendensium quoque informatione annis consumptis, Sueciam ascendit; Vesmannos suscipiens erudiendos, habitansque prope Suaningensem diu ecclesiam, in prædio eapropter Muncketorp nuncupato, quod illic cum aliquot sui ordinis moratus sit monachis. Ex hoc autem primo Suecæ cœnobio, S. David Abbas concionatores per regnum continuò emisit, & ipsem pariter doctrinâ, miraculisque, plurimos gentilium ad salutiferum Christi dogma pertraxit, donec hujusmodi fessus labore, spiritum cœlo, & corpus Muncketorpii faustus terræ tradiderit.

Circa annum MXXVI. Valfridus, natione Anglus, de contubernio forsitan S. Davidis, contumacibus concionans Sueonum quibusdam, zeloque percitus, arrepta securi, propinquam Thoronis statuam demolitur. Quocirca mox à furente trucidatus plebecula, glriosum pro Christo subiit martyrium.

Quamvis Anundus S. Olae insignem Sueciæ portionem obtulerit, tamen uxore, liberisque hic relictis, maluit in Russiam ad congenerum proficisci Jaroslavum. Qua etiam æstate Haquinus, Norvegiæ prorex, in Angliam, gratia nuptiarum, navigavit, illisque transactis, cum uxore sub initium autumni, inde solvens submergitur.

Anno MXXVII. Quidam Norvegiæ proceres Haquini morte nequam tristati, quod nec ille, nec Canutus pactis stetissent, & patriam crudeliter afflixissent, occultis in Russiam nunciis expeditis, Olaum inde revocant, spondentque auxilium.

Anno MXXVIII. Suasoribus S. Olaus obtemperans, in Sueoniā remeat, & auxiliares hinc atque ex Norvegia nactus copias, cum tribus armatorum millibus in patriam festinat; Quem adversarii, X millibus stipati pugnatorum, in villa excipiunt Stichelstadiana, XXIX Julii, prælioque commisso, victores evadunt, & cum præcipua commilitonum parte corruit Olaus, ac loco pugnæ sepultus à quodam clanculum amico, prodigiis innotuit, Nidrosiamque translatus, denuò humatur.

Hoc autem fauciatus prælio Haraldus, S. Olai frater uterinus, fuga in Sveciam relabitur, & inde cum Magno fratribus occisi filio in Russiam contendit; Ubi aliquandiu moratus, porro Constantinopolin pergit, inque Cæfaris militia, singularem fortitudinis gloriam, ac peculiarem sibi annis aliquot thesaurum comparavit. Verum Canutus de pugna certior factus memoria, victoribus summoperè gratulatur, amplissima ipsis præmia, & toti regno spondet privilegia, nihil minus quam promissa exequens. Etenim regno mox filium obtrudit Suenonem, qui parentum consilio tantopere Norvegos triennio afflixit, ut ipsos rebellionis in S. Olaum pœniteret, & de filio in regnum Magno quantocyus advocando, frequenter deliberarent.

Anno MXXIX. Univannum Bremæ mors, XXIX Januarii, abripuit, & Libentium II fors melior in cathedra substituit. Quando similiter fatorum succubuit violentiae, S. Poppe, Slesvicensium Antistes.

Anno MXXX. Thurgothus, Vestrogothiæ præful, hærens valetudinis gratiâ recuperandæ aliquandiu Bremæ, illic morbo epilepsia finivit vitam, & Scarensibus à Libentio episcopus Gotscalcus quidam ordinatus, otium tanto prætulit negotio, sicque pastore Vestrogothia proprio mansit orba, donec S. Adalvardus illi destinaretur.

Anno MXXXI. Præfules Sondiæ, Odincarus Daniæ, Sigfridus Sueciæ, & Rodolphus Norvegiæ, novo præstituri obedientiam Archiepiscopo, Bremam navigarunt; Quos Libentius audita & collaudata gentium conversione, ad vineam porro excolendam, cum amore ac honore, lubens remiserat. Quo tempore B. Sigfridus, de pluribus in tanta messe sollicitus operariis, Omundum Suecum, Bremæ tradidit eruditione ac religione imbuendum. De Selandis quoque episcopo destitutis, Libentius curam gerens, Achonem ipsis destinavit.

Interea potentissimus Angliæ, Daniæ & Norvegiæ rex Canutus, Romam versus votivam suscipiens peregrinationem, hoc itinere in criminum expiationem plurimas erogat eleemosynas, & urbem ingressus, coram sepulchro SS. Petri & Pauli provolvitur, vitæque spondet emendationem, & à Johanne obtinet Pontifice, ut peregrini ex Anglia & Dania Romam proficiscentes, essent imposterum immunes à vectigalibus in Italia solvi passim consuetis.

Denum inde regressus, & imperatori Conrado amicè congressus, ipsius filio suam despontavit filiam.

Anno MXXXII. Hermannus Libentio de vita migranti Bremæ succedit. Et hoc floruit tempore apud Norvegos S. Halvardus, pietate in Deum, & charitate erga proximum conspicuus, hancque propter occisus, multis diu signis illustratur, ac XV Maij, dies illius memoriæ dedicatur. Fuit vero Halvardus S. Olai consobrinus, utpote illustri genitus patre Veberno, & matre Thorâ, Gudbrandi comitis filia, sanctique regis materterâ.

Beatus similiter Enevaldus, Norvegis, hoc prope tempus, fuerat quoque venerationi, & calendis Julii, festivitatem illius quotannis celebrarunt. Atqui apud Sueones hac ætate ceteriores, quidam peregrinus, Ericus, Christum annuncians, capitis obtruncatione palmam martyrii, & honorem in cœlo pro laboribus in terra promeruit.

Anno MXXXIII. Inaudiens Thryggo, filius Olai Thryggonis, exul, Norvegos Suenoni ob tyrannidem offensos, copias in exteris comparat regionibus, & regressus in patriam, alacriter tyrannum oppugnat, ab illo tamen superatus, occiditur. Itaque fortunatus Scondii, Thryggonis contemporanei, haec tenus Italos impugnarunt, utpote qui regnum hoc anno Neapolitanum feliciter sunt auspicati.

Anno MXXXIV. In sepulchrum descendit Hermanus, Nordalbingorum & Scondianorum metropolita, Berelinusque, seu Alebrandus exedram concendit, qui antecessorem imitatus, gentium non magnopere studuit conversioni. Hanc tamen rex Anundus in Sueonia minimè neglexit, quamvis bellorum tumultibus crebro esset impeditus; Cujus etiam secutus est militiam Sueno Estritius XII annis, interea filiam Anundi, Gude, ambiens, & illam deinceps obtinens uxorem. Natus autem fuit Sueno patre Ulphone Sprachelegio, illustris in Suecia prosapia viro, & matre quidem Estride, Canuti Magni sorore; A qua Suenonem Danici scriptores appellant Estritum, ipsum erubescentes immerito Ulphonidem nuncupare, propter figmenta quædam Saxonis de avo Ulphonis vanissima.

Sed primordio veris, jugum Norvegi Danicum & Anglicum haud diutius sufferre valentes, binos occulte ablegant optimates in Russiam; Qui Magno humiliter congressi, ab illo cæsi veniam parentis flagitant, & ad suscipiendum patriæ afflictissimæ gubernaculum sedulò invitant.

Anno MXXXV. Magnus votis Noricorum consentiens, ex Russia & Suecia prægrandem cogit exercitum; Quo cum per Jemptiam intelligens Sueno ipsum adventare, & incolarum pertimescens insidias, sibi vehementer infestorum, præsubitâ petit Daniam fugâ, Magnusque nullo adversante, Norvegiam suo submisit dominio. Canutus interim filiae intentus nuptiis, quam Henrico imperatoris filio nuptum dederat, Suenoni nequit succurrere; Alios quoque inter filios regna modo partitus est, Angliam Haraldo, & Daniam Canuto, assignavit.

Anno MXXXVI. Ineunte, moritur in Dania Sueno ex Norvegia profugus; Verum XII Novembbris Canutus pater illius clarissimus, naturæ debitum persolvit, Vintoniæ tumulatus, & superstites sceptrâ capessunt filii memorati.

Anno MXXXVII. Canutus II. Danorum rex, Norvegiam revocaturus ad obedientiam, primo vere armatus illam ingreditur, quem Magnus haud imparatus exceptit; sed procerum interventu ea placantur conditione, quod alterutro vitâ functo, demortui regnum superstes acceptaret.

Anno MXXXVIII. Magnus proinde nullum amplius formidans adversarium, vindictam cædis paternæ occipit machinari, prima-

rios sicciorum proscriptione, bonorumque plectendo confisca^{tio}nē.
MXXXIX. Nimium senescenti Odincaro, deputatur Ripæ coadjutor
à Bezelino Christianus. Verum priori anno Rodolphus Slesvicensibus
dabatur Antistes.

Anno MXL. Haraldus morte compulsi^s, Angliæ diadema fratri
Canuto assignavit, qui Daniæ simul insignibus per sequens fulgebat bi-
ennium. Magnus vero paternæ intentus apotheosi, argenteo S. Olai cor-
pus imponit loculo. Sed in Gothia vergens B. Sigfridus in senium,
cognatum ex Anglia vocat S. Eschillum, qui deinceps Sudermannorum
designatur antistes, apud Forsensem refedens Ecclesiam. Nec multo
post tempore, sanctus præsul Sigfridus, immensis pro Christo defessus labo-
ribus, ipsi coronandam restituit animam, XV Februarii; Quem postea
diem illius natalem, Ecclesia Sueonum decrevit sollennem, & præci-
pue Vexionensis, quæ sacras corporis exuvias, reverenter humandas
suscepit.

Anno MXLII. Canutus Angliæ ac Daniæ rex, VIII Junii per mor-
tem utriusque valedixit gubernaculo, Vintoniæ paterno humatus sepulchro.
Absolutis autem exequiis, Edvardus frater uterinus thronum consedit
Angliæ, & Magnus ex pacto subrogatus in Dania, Norvegiam repetit, Sueno-
ne Estritio in illa prorege constituto. Atqui cum ipse regni optimates
ad se fraudulenter pertraheret, absolutumque sibi vendicaret dominium,
Magnus non immerito exacerbatus, postquam Julinenses jugum recusan-
tes Danicum, compescuisset, in rebellem convertit signa Suenonem victo-
rios. Hostis autem congregati non audens, in Suecia captat refugium,
ibique noctis subsidium ab Anundo rege, ac Tuphone Jerl, frequenter Da-
niā infestat.

Anno MXLIII. Alebrandus vitæ stadium emensus, Adalberto in-
fulam porrigit Bremensem, totiusque Scondiæ relinquit procurationem.
Qui extemplo hortatus, gentium prædicatores, ad strenuam Christo ope-
ram navandam, nulli parcit labori, vel impensis, XXX quibus federat
annis, pro Scondianorum conversione. Interim vero Episcopos, IX in Da-
niā; VI in Sueciā, & II in Norvegiam, ordinavit, quos inter vir reli-
giosissimus fuit Egino, ad Scanos missus, etiam Blechinganos, Hallan-
dos & Borcholmenos, Christo subjugavit.

Alter horum Stephanus, qui Helsingis, Schifinnis, Jemptis, Angerman-
nis & Bothniensibus, viam salutis æternæ demonstravit, ac demum in Helsingia
ab infidelibus occisus, in Norala sepelitur. Tertius erat Johannes Hilti-
nus, primus Byrcenium episcopus gentiumque vicinarum. Anno denique
præsenti Odincarus junior, sanctissimus Ripensium præsul, vitæ finem
imposuit, Christiernum habens successorem.

Circa annum MXLIV. S. Vilhelmus natione Anglus, olim Canu-
ti Magni archigrammatæus, pedo decoratur Roschildensi, qui non pau-
cis simul annis Sconensium & Fionensium fidelem gessit curam. In Da-
nia etiam commorans Magnus, Slesvicum, collocuturus cum Archiepisco-
po, proficisci^t, ubi fororem, Ulphildem Ordolopho Vandalorum prin-
cipi, despontavit.

Anno MXLV. Vandali Magno succensentes ob cladem Julino illa-
tam, ipsique congregientes, XV hominum millia amiserunt. Haec tenus
verò Haraldus Magni patruus, insignem terrâ, marique præstat operam
Michaeli, Græcorum imperatori, Asiam populans, & multum illic auri cu-
mulans. Deinde Hierosolymam profectus, sepulchro Domini suam exhibi-
tus liberalitatem ac pietatem, indeque reversus parat redditum in Russiam;
Quem ægerrimè ferens Cæsar & mater Zoë, Haraldum accusat spoliatæ,

Afia,

Aſiæ, & ipſum ideo captivat. Verum auxilio amicorum mox liberatus, hoc profugit tempore ad Jaroslavum Ruffiæ principem, cujus filiam & Olai Scotkonung neptem, ibi conjugem obtinuit. Altera verò Jaroslavi filia nupsit Henrico, Gallorum regi, genuitque Philippum; Et tertia Andreæ Ungarorum principi copulata, Salomonis mater evasit.

Anno MXLVII. Haraldus Jacobo Anundo fretus, velut uxoris avunculo, cum ipſa festinat in Sueoniam, & illius patrocinio medicrem Norvegiæ portionem impetrat, Magnoque vicifim non modicam ſui partem theſauri donat.

Anno MXLVIII. Sueno Estritius indignans ſe utroque regno prorsus excludit, Daniam invadit, censusque colligit; In quam propterea Magnus & Haraldus ex Norvegia ducunt exercitum, ipſumque inde pelunt. Deinde victor Magnus morbum in claſſe contrahit, & mortem ſibi comperiens imminere, Suenoni Daniam, & Haraldo affignavit Norvegiā, ac tandem mortuus hoc autumno, Nidrosiam deportatatur, multoque incolarum gemitu ibidem prope tumulum parentis humatur. Sueno autem princeps, eruditione ac religione præclarus, ita regno potitus Danorum, Gudam Suetici regis filiam, ſibi propinquō nimium ſanguine junctam, citra præſulūm consenſum duxerat uxorem.

Anno MXLIX. Cum Vilhelmus & Egino aliquandiu regi ſuafiffent repudium Gudæ, quod illius eſſet amitino nata, nec ipſum permoviffent, tandem insurgunt Papa & Archipræſul Adalbertus, diffi culterque admodum compellunt Suenonem ad obtemperandum Ecclesiæ, cognatamque repudiandum. Sed Gude, mulier religiosissima, lubens admisit diuortium, & reversa in patriam, Deo vitam egit gratiorem, donec à Thore Suenonis concubina veneno tolleretur. Interim fortassis, caenobium illud Vestrogothiæ Gudhemianum, de ſuo fundavit nomine, dotavitque.

Anno ML. Haraldus, qui propter animum ferocem & pugnacem, fulmen nuncupatus eſt septentrionale, ac malum fatale, Norvegia non contentus, Daniam Suenoni machinatur subducere. Quamobrem LX navium claſſe Jutiam invadit, & præter alias illi clades paſſim allatas, Slesvicum flammis incendit, & naues conſcendit prædiſ onuſtas, hostemque Sueno fugientem armatus fruſtra perſequitur. Hæc in Dania contigerunt, ſed in Islandia generali ordinum decernitur conſenſu, ut im posterum eccleſiaſtico juſ cederet politicum.

Anno MLI. Laudatissimus Sueonum rex Anundus Jacobus, terrenum cœleſti feliciter regnum commutans, paterno Scaræ ſepulchro infertur, unaque florens ſub illo patriæ conditio. Etenim illi Emundus, frater nothus, cognomento Annosus, ſubrogatus, non magnam religio niſ & æquitatis curam habuit, inde utrāque in regno ſisque deque terebatur. Ad hunc etiam perveniens regem Omundus, B. Sigfridi quondam Bremæ in ſtudiis alumnus, qui Romæ eſſet paſſus repulſam, in Polonia ordinatus eſt archiepifcopus, & ideo geminam ſibi nunc crucem curaret præferendam, ab illo pro regni metropolitano fuſcipi tur. Nec melior fuit hoc tempore conditio Norvegiæ, quam Sueciæ: Siquidem horrendo flagrat illa civili incendio, propter Haraldi tyran nidem exorto, quod opprimit ille nova tyrannide, trucidatis & fugatis patriæ defenſoribus, inuſtitiaque oſoribus.

Circa annum MLII. Adalbertus, Scandiæ primarius antistes, fraude Omundi cognitâ, minus etiam ſanâ Sueones doctrinâ imbuentis, Adalvardum Ecclesiæ Bremensis decanum, multis virum dotibus illu ſtrem, Vestrogothis destinat epifcopum. Atqui Omundus indigena re gis

gis & plebeculæ nixus favore, prævaluit alienigenæ , ac repulsi miseratus Adalvardi religiosissimus princeps Stenchillus , donis ornatum ad Gude reginam perduxit incolumen , indeque sanctus præfus Bremam revertitur.

Anno, vel prope MLIII. Vindicat Deus contemptum legitimo irrogatum episcopo ; Nam unicus Emundi filius, nomine Anundus, à patre ad subigendam Amazonum regionem cum immenso destinatus exercitu , illuc veneno fontibus immisso, commilitonesque interierunt universi.

Anno MLIV. Eundem propter despectum Sueones, & Göthi, tantâ cælitus præssi annonæ penuriâ , ut homines , pecudesque fame perierint , ac incolæ tandem numinis agnoscentes flagellum , S. Adalvardi consenserint revocationi , & illum per legatos ab Adalberto humiliter postularint. Quando simul Bremæ Islandorum & Gronlandorum constituti oratores , impensè concionatores quoque flagitarunt.

Circa annum MLV. S. Adalvardus in Sueoniam reversus, summo incolarum gaudio suscipitur, & Vestrogothorum constituitur episcopus , tanta florens sanctimonia , ut imbre ac serenitatem, quoties poscerent, indigerentque Sueones , suis de cœlo precibus impetraret. Itaque plurimos ille ad cœlestis agnitionem veritatis pertraxit , inter quos fuere Vermelandi.

Sed Islandis misit Adalbertus Johannem, natione Scotum ; Gronlandis Albertum , & Orchadensis Thuroolphum, ac horum quidem cura nunc primum Bremensi demandatur Archiepiscopo à Pontifice Romano , qui Anglorum & Scotorum prius auscultassent episcopis.

Hoc mundi ævo S. Bothvidus , incola Sudermanniaæ , in Angliam mercandi gratia profectus, nobilissimas in patriam reportat merces, synceram videlicet Christi agnitionem , quam in patria vicissim cum plurimorum expendit Sueonum salutem.

Anno MLVI. Islandi suæ peritum linguæ cupientes episcopum, Islevum primariâ illic ortum familiâ , & litteris Erphordiæ insigniter imbutum , Romam ablegant ordinandum.

Anno MLVII. Islevus inde ad suum remissus metropolitanum, Bremæ festo sanctissimæ pentecostes inauguratur , & patriotis assignatus antistes , ad illos revertitur, quos, Gronlandosque, diu fidelissime informavit.

Anno MLVIII. Islevus ex prædio suo Scalholensi hæreditario , Ecclesiam illic fundat primus cathedralem, & scholam trivialem. Islevum porro , & nonnullos successorum, sicut etiam quosdam in Scondia hujus temporis Episcopos, quædam annualium fragmenta, & vetusti legum codices, uxoribus conjunctos vixisse testantur.

Anno, vel circiter MLIX. Haraldus nonnihil otii à bellis nactus , urbem in Norvegia condidit Aslogensem, illic plerumque commorans, ut propinquior foret ad occurrentum regi Danorum.

Anno MLX. Slavorum potentia ferro flamaque desævit in Slesvicenses. Nec mortis insolentia Emundo, Sueonum regi, pepercit , ipsique sine regni hærede mortuo, Stenchillus cognatus in throno substituitur , princeps Deo, hominibusque gratissimus , ob singularem vitæ probitatem. Haraldus vero tyrannus utrisque displicuit , quod cœligenis , terrigenisque esset injurius ; indigenas & alienigenas divexaret , nec à sacris, neque profanis rebus violentas cohiberet manus, innocentemque funderet sanguinem. Quocirca tyranno succensens Adalbertus, suadet ut ab hujusmodi desisteret sceleribus , Christiano indignis principe, Bremensis agnosceret ecclesiæ autoritatem, ibique, non in Anglia suos curaret initiari episcopos ; artes diabolicas, quibus nimium deditus, respueret , schismaticæ que

que Rutenorum doctrinæ nullatenus faveret. Verum Haraldus nuncios Archiepiscopi, salubria monentes, cum indignatione repulit, afferens se dominum Norvegiæ solum, nec alteri subjectum potestati. Quâ præful arrogantiâ commotus, Asgauterum Anglum Norvegiæ episcopum ex Italia reducem, Bremæ compræhendit, & tamen accepto fidelitatis juramento, inde dimisit.

Anno MLXI. Haraldus Orchadas dominio Norvegiæ submisit, quorum XVI cultæ & XX incultæ fuerunt, ex illisque propagatus S. Magnus, ibi ac in Norvegia olim, die XVI Aprilis, solennem suo nomini obtinuit festivitatem. Victor autem Haraldus, martem prosequens propitium, Islandos & Gronlandos pariter subjugavit, ac quaslibet ferme Vandalorum insulas, accolasque incurfavit.

Anno vel circiter MLXII. Nihilominus tamen Haraldus percelebri sanctimoniam B. Adalvardi commotus, ipsum ex Vestrogothia in Norvegiam invitat amicissimè, & visis aliquot stupendis ab ipso editis miraculis, tot præfulem donat pecuniis, quot redemptioni CCC sufficerent captivorum; Quos indè, soluto precio, mox S. Adalvardus liberavit, inque Gothiam properavit.

Anno MLXIII. Adalbertus suis apud contumacem Norvegiæ regem nihil proficiens exhortationibus, de ipsius queritur arrogantia intolerabili, coram Alexandro II. Qui litteris ad ipsum datis, serio monet, ut impiam deferas tyrannidem, & Bremensi obediatur Antistiti, velut suo primati. Sed Haraldus inde haud melior factus, CCC navium classe Daniam prædatum festinat, & cum obvio præliatus Suenone, insignem reportat victoriam.

Quandoquidem porro ista floreret adhuc tempestate, cum plurima veri numinis offensione, idolorum Upsaliæ cultus, ad reliquorum illuminationem gentilium, in ipso Deus sacrificio unum flaminum, aræ adstantem, cæcitate corporis percussit, ut mentis discuteret tenebras. Qui velut Saulus occæcatus, & deinde soporatus, admirandi virginem splendoris, puerum ulnis gestantem, sibique dicentem conspicatur: In unigenitum Dei filium, contemptis idolis, credens, visum recipies, & suasioni consentiens, corpore, menteque illuminatus, consurgit, suum annunciat infortunium, Dei prædicat beneficium, & regnum peragrans, multis viam lucis æternæ demonstrat.

Anno MLXIV. Tam insigne cognoscens miraculum Adalbertus, ne suo deesset officio, ipso gentilibus Deo ita cœlitus prædicante, Adalvardum ju niorem permultis ornatum virtutibus, Uplandis destinat præfulem, ipsique, consensu regis Stenchilli, sedem assignat Sigtoniæ, ut propinquior Ufsaliæ, commodius infidelium conversioni invigilaret. Episcopus igitur Oceanum permensus, venit in primis Scaram, ibique depræhendens S. Adalvardum morti vicinum, procuratis pro honore Antistitis tanti exequiis, properat inde Sigtoniam. Illic vero tanta suscipitur omnium alacritate ac charitate, ut primis operanti sacris ibidem, LXX offerrentur libræ argenti; Cujusmodi animatus favore, Sigtunenses populosque finitos, ingenti conatur labore ad Christum pertrahere, plurimos horum illi lucratus, Bircam prædicandi zelo adiit, cujus non obscurum depræhendit vestigium, sed B. Unnonis sepulchrum non potuit investigare. Interea Vestrogothis Adalbertus Acelium ordinat episcopum, qui eligens potius quietem Coloniæ, in delitiis consenuit inglorius, frustra Gothis illum advocabitibus.

Anno MLXV. Haraldus & Sueno, Scondiæ reges potentissimi, tandem pertæsi bellorum, concordiam amplectuntur, mutuaque se obligant sponsione, quod imposterum bello neuter occasionem præbiturus, sed reliquum vitæ familiariter transacturus esset. Quamobrem Sueno pacem nactus, illiusque nomi-

nomine gratum Deo animum exhibitus, plures in Dania instituit Episcopas. In Jutia etenim fundavit Viborgensem, & Borglamensem, sed Arhusiensem liberaliter restauravit. In Scania vero Lundensem & Dalbyensem, utrobique ecclesiis multo sumptu fabricatis, ac præfuli Eginoni & Henrico sedulò commendatis. Ast cum Henricus indignam episcopo duceret vitam, Scania, Hallandia & Blechingia, soli committuntur Eginoni, successoribusque Lundiæ cathedralm habituris. Sueno autem illa tot Episcopas per Daniam fundavit intentione, ut proprium impetraret patriæ Archipræfulem, jugo subductæ Hamburgenium. Quam licet Adalbertus non ignoraret machinationem, tamen ideo dissimulavit, quod fibi persuaderet, tribus in Scondia sedibus Archiepiscoporum institutis, se patriarcham illarum certò evasurum.

Anno MLXVI. Siquidem mortuo nuper Edvardo, Anglorum rege, absque hæredibus, thronum quidam procerum invasissent, Norvegus ab uno illorum, portionem fibi Angliæ pollicente, vocatur in subsidium. Qua permotus spe Haraldus, cum plurimis armatorum millibus illuc velificat, victorque in primis factus, demum vincitur a Vilhelmo Normannorum principe, Angliam fibi subjugante, ac cæditur. Ita Normanni etiam Angliæ potiti, constans in ipsa dominium hactenus obtinuerunt.

Adalvardus, Sigtunensium præful, difficile fore prospiciens Uplandorum conversionem, quamdiu idolorum Upsaliæ persisteret fanum, cultusque, cum Eginone, Scanensium Episcopo, in illius conspirat demolitionem, vitam pro tanti facinoris successu impendere non formidans. Verum Stenchillus subverens rebellionem, & fidei Christianæ omnimodam extirpationem, velut nuper in Slavonia contigisset, a proposito episcopos revocavit.

Anno MLXVII. Funus Haraldi Nidrosiam relatum, in ecclesia conditum parthenica ab illo fabricata, & Olaus, Magnusque filii, clavum regni capeſſunt; Quo ipſos & Anglo Vilhelmum Danus ſpoliare fuit deinceps ſæpenumero machinatus. Luctuosus quoque fuerat præſens Sueonibus annus, quod illo currente præclarissimum amiserint regem Stenchillum; Ad regni vero fastigium Suetici, Ericus quidam mox ſublimatus, cum throni competitor, nominis ejusdem, tanto congridetur fervore, ut ipſemet, æmulusque cum universis Sueciæ ac Gothiæ ceciderint optimatibus.

Hac principum Christianorum clade, gentiles regni animosiores reddit, fideles Christo, per reliquum hujus ſeculi decurſum, vehementer affixerunt, vera religione propemodum conculcata. Nam in primis regio collocatus folio Amundus, quod idolis nollet immolare, deturbatus ex illo in exilium fugatur. Deinde Halstanus, Stenchiili filius, ſubrogatus, eandem propter causam regno exturbatur. Mox Amundus ex Russia in patriam revocatus, throno restituitur, & iterum idolis cultum derogans, ſecundò expellitur. Postea Haquinus Rode ſceptrum consecutus, quo geſtaverit illud successu, nulla prodit historia, nec memoria.

Interim ſæviente in Uplandia persecutione, non ſecurus illic Adalvardus, a Gothis episcopo deſtitutis Scaram vocatur; Qui comite individuo Eginone, omnes Gothiæ peragrans ditiones, idola confringit, & plurimos paganorum flumine ſalutari tingit. Atqui nihilominus graviter offendit illi Archiepiscopus, quod fe inconferto, ecclesiæ administrationem Gothicæ ſucepiffet, illinc, velut canonum prævaricatorem, revocat Brema, ubi tamen laudabili coronatus exitu, & Thadico Ramsolensium de contubernio, Gothis deputatus Antiftes, maluit domi ignavus defidere, quam foris Apostleſ florere. Reliqui etiam præfules ac concionatores Gothorum, Sueonumque, furore gentilium deterriti, certatim dilabuntur;

Et interea solus Egino, Christianos in Gothia crebro visitans in fide confortat, apud hosque famosum & verbosum Freyeri simulacrum communiuit. Illustris vero Sueonum satrapa, Grifus, suos reddit populares Christo fideles, divum imitatus Herigarium, Byrcensium quondam prætorem. Sed jam ad intermissos redeamus annorum calculos.

Anno MLXVIII. Olaus Norvegiae rex, ducā in matrimonium Ingridę, Suenonis filiā, pristinam cum Danis, regno alias suo inhiantibus, confirmat amicitiam.

Anno MLXIX. Sueno proinde, abjectā spe Norvegiae obtinendae, omnem applicat conatum Angliæ subactioni, & cum grandi illuc destinati propterea exercitu filii, Canutus & Haraldus, multis Angliam detrimenis afficiunt, non tamen eam subjiciunt. Interea Sueno cum Henrico imperatore Lunenburgi colloquens, fœdus pangit in Saxones.

Anno MLXX. Magnus de vita migrans, integrum Norvegiae dominium Olao fratri permiserat.

Anno MLXXII. Gloriosus & animosus Bremensium, Scondiorumque præful, Adalbertus mortis succubuit etiam imperio, Liemarum nanciscens in cathedra successorem.

Anno MLXXIII. Danus ab Henrico imperatore ad expugnandum unà Saxones rebelles invitatus, non modicam regionis partem victor habiturus, hosticum immenso invadit exercitu. Quem tamen protinus revocavit, importuno hujus clamore impulsus, affirmantis Saxones propter lata sæpenumero Danis subsidia, non illam promeritos esse mercedem, & Cæsare profligato, intolerabiles Daniæ hostes futuros vociferantis. Quando etiam teste M. Adamo, clarissimus & sanctissimus Scaniæ præful Egino, ex urbe nuper domum reversus, mundo feliciter valedixit, Richvaldum postea successorem adipiscens. Funestus præterea fuit iste annus Ottonienibus, quod Eilbertum ipsis episcopum fata quoque sustulerint.

Quo similiter currente cœpit B. Sebaldus regis quondam Suetici filius, Norimbergæ, ubi fuit sepultus, admirandis inclarescere miraculis.

Anno MLXXIV. Celeberrimus Danorum rex Sueno, XXVIII Aprilis, vitæ attigit similiter terminum, & appropinquant Roschildiam funerari regio, S. Vilhelmus, urbis antistes, obviam processurus, bina mandat interim domi sepulchra parari, & proprium unà secum deportari loculum; Veniensque ad Suenonis capulum, expirat, & sarcophago impositus, cum principe sibi charissimo ad tumulos in ecclesiâ præparatos simul defertur, ac in suum infertur, innumerabili hominum multitudine inspestante, ac rei novitatem inusitatæ vehementer admirante; commemo ranteque dubio procul illam regis erga præfulem observantiam, quæ paucos ante annos contigisset. Quando propter homicidium in ecclesia perpetratum, Sueno ab illa exclusus, non minorem episcopo, Vilhelmo præstitit obedientiam & reverentiam, injunctamque egit penitentiam, quam sancto prius Ambrofio, Theodosius imperator. Daniæ autem gubernaculum V commisit Sueno filiis, ex concubina genitis, nimirum Haraldo, qui deinceps successit parenti; Canuto; Olao; Erico & Nicolao, de quo illi, prolesque numerosa & nepotes frequenter dimicarunt.

Anno MLXXV. S. Vilhelmo Roschildiæ sufficitur Sueno Norvegus, quo suasore prius, Vilhelmoque, rex Sueno basilicam fabricaverat Roschildensem ex saxis quadratis, & cœnobium S. Benedicti fundaverat Ringstadii. Verum Sueno episcopus utrumque deinceps opus multis sumptibus consummavit.

Anno MLXXVI. Olaus per celebre illud Bergensium, in Norvegia, emporium apparavit, jureque civitatis donavit. In Sueciæ vero Suderman-

mannia, S. Bothvidus adhuc superstes, Slavum quendam, fide Christiani informatum ac emancipatum, in Slavoniam remissurus, ut ethnicis Christum illic annunciatet, ab illo nefarie in via trucidatur, & in Slemmensi vel Bothvidiana tumulatus ecclesia, signis coruscat, Sueonesque annum ipsius memoriam ibi, XXVIII Julii, solenniter postea celebrarunt.

Anno MLXXVII. Haraldus Suenonis primogenitus, sedata fratrum de sceptro Danorum contentione, haec tenus flagrante, illud acceptat.

Anno MLXXVIII. Haraldus abrogat usum laminæ candardis, in veritatis indagatione haec tenus in Dania gestatae, vel calcatae a reo, duodecim virali litem quamlibet committens examini. Illa tamen judicij consuetudo deinceps iterum invaluit, & sub Valdemaro IV penitus exolevit.

Annum circiter MLXXIX. Ingo Halstani germanus, sceptrum Suecorum & Gothorum natus, idolorum Upsaliæ prorsus abolevit cultum. Quam obrem gentiles adversus ipsum exasperati, regno expellunt, nocturnis apud Scanos deinde maestatum iniidiis, indeque relatum, & in Vestrogothia humatum. Interea temporis Sueno quidam idolis addictus, ab ethnicis ad Sueciæ solium promotus, Stregnesiæ instauravit idolatriam, non Upsaliæ.

Anno, vel circiter MLXXX. Infideles ad novendialia confluunt sacrificia Stregnesiæ, quod inaudiens S. Eschillus, tribus inde milliaribus constitutus, illuc festinat, & cum diu gentiles a nefario ac sacrilego dehortatus esset opere frustra, ad orationem conversus, pluviam, grandine, tonitruo & fulgere cœlitus impetratis, aras prosternit immolantium. Qui propterea furore correpti, lapidibus S. episcopum interfecerunt, pro inimicis, velut Stephanus, obsecrantem, & miraculis postea multis coruscantem.

Haraldo Danorum regi vitam terminanti, successit Canutus frater, Deo, hominibusque princeps dilectus, qui mox translatis ex Anglia reliquis S. Albani, magnificum Ottoniæ templum fundatum illi dedicavit. Sed Bergæ in Norvegia, jecit rex Olaus, prima ecclesiæ cathedralis fundamenta, & fabricam basilicæ Nidrosiensis magis perfecit, huicque campanam dedit admirandæ magnitudinis.

Anno MLXXXI. Gyfferus Islevi filius, parenti nuper mortuo, in cathedra Islandiæ Scalholensi substitutus, Romam inaugurandus proficitur, indeque Moguntiam remissus, ibi consecratur, non Bremæ, quam Sondii hoc tempore plurimum aversari cœperunt, domesticum desiderantes Archipräfulem.

Anno MLXXXII. Structuræ templi Roschildensis, admodum sumptuosæ, manus imponitur extrema, in quo S. Vilhelmi ossa de tumulo levata transferuntur.

Anno MLXXXIII. Canutus Daniæ rex, Lundiæ in Scania multò augstiorem cœpit moliri basilicam, quam pater, aut avus fecissent. Nec Philippus Halstani filius in Suecia hujusmodi piis indormiit omnino operibus, qui sublato Suenone Sanguinano, regni gubernaculum adeptus, exulantia passim religionis exercitia Christianæ fideliter revocavit & ornavit.

Anno MLXXXV. Rex Canutus, XXI Maji, præposituram Lundiæ, & IX alia fundat, dotatque liberaliter canonica sacerdotia, cum ludo ibidem literario. Et simul de univerlo regni clero bene promeriturus, illum a quibuslibet liberat exactioribus; foro vetat politico adversariis respondere; sed ecclesiastico atque præfulibus regni, secundum dignitatis & sessionis a regibus gradum deputat.

Anno MLXXXVI. Procerum quidam Anglicorum Danis potius, pristinis suis dominis, quam Normannis subesse desiderantes, regi Canuto clanculum deferunt thronum, armis Vilhelmo eripiendum. Tantam itaque sponsam Canutus haud repudiandam existimans, Roberto Flandren-

sium comite, socero, in consilium & auxilium advocato, navale apparet bellum; sed quando Angliam versus esset soluturus, fratrem cognoscit Olaum, cum nonnullis optimatum, periculis studere factinibus, & meritò subveritus, ne proprium amitteret regnum, dum alienum affectaret, hac supersedit expeditione, ac Olaum à socero captivum destinat in Flandriam, illiusque complices in suam stimulat perniciem.

Anno MLXXXVII. Juti, Danorum populus, ob quandam à Canuto impositam contributionem, & potissimum quod ab illo ad decimas clero solvendas rigidè cogerentur, seditionem commoverunt, & regem inde propterea in Fioniam remeantem insecuri catervatim, in eadem perstiterunt, & à Canuti osoribus, Olaique fautoribus magis inflammati, ipsum Ottoniæ in ecclesia S. Albani, vespertinis devotè precibus vacantem, invadunt, & quo die Elizabetham Deipara visitavit, innocentissimum, religiosissimumque principem, cum Benedicto fratre, ac aliis procerum non paucis, nefarie occidunt. Illic verò sepultus, signis illustratur, eaque propter divis adnumeratur. Quatuor S. Canutus reliquerat liberos, & horum sunt filiae tres; quarum Ida senior natu Vartislae nups'erat Pomeranorum Duci; Ingerdis Folchoni, & Cecilia Erico, summatibus Sueonum nobilissimis, indeque clarissima profluxit hoc regno deinceps progenies Folchungorum. Sed cum Carolo harum fratre, mater Adela Flandriam præsubitâ repetit fugâ patriam, ubi fato ille consumptus fuit miserabili.

Nihilominus tamen Robertus Adelæ pater, Danis extemplò per legatos Olai flagitantibus liberationem; lytrum prægrande spondentibus, & obsides illi destinantibus, captivum in Daniam remisit, protinus regni fascibus decoratum. Nec scelus in sanctum regem commissum, Deus criminum vindex æquissimus, reliquit impunitum; Quandoquidem toto, quo regnavit Olaus, octennio, fames Daniam immanissima divexaverit; Quâ Numen simul palam fecit, decimarum pensionem, plus ubertatis quam caritatis populo importare Christiano. Interea Ericus, Olai frater, quod partibus S. Canuti adhæsisset, vinculaque Olae injecisset, in Sueonia profugus, commoratur, ubi Botildem, prælustris viri Ulphonis Gellesonii neptem, nactus fuerat conjugem, insuetæ fœminam patientiæ.

Anno MLXXXIX. Eximum Norvegiæ regem Olaum, mors sustulit, & regni axiōtate filius potitur Magnus, à paternis non exorbitans vestigiis glorioſis. Neque minori cum encomio Suecorum Ingo præſidet gubernaculo, quod Philippo patre sub hoc ævi currentis tempus, mortuo, concordi ordinum suffragio, fuit consecutus. Bigamus verò extitit Ingo, qui ex Ragnilde, prima thori conſorte, fuisse Christinam, illustrissimo Ulademinensium principi Jaroslavo primum copulatam, cuique genuit Ingeburgem, S. Canuti ducis Obotritorum conjugem, & alteram Almo Ungarorum regi, desponsatam. Quæ profectò connubia inclytos throno Sueciæ, Daniæ, Norvegiæ, Galliæ, Ungariæ & Poloniæ reges subministrarunt. Verum demortuæ Ragnildi, Telgæque non sine miraculorum gloria quiescenti, superinduxit Ingo Helenam, Margarethæ ac Ragualdi genitricem, quorum uberior fiet mentio progressu operis.

Anno MXCII. Magnus Noricorum princeps, Hallandiam devastat, & multis onustus manubiis, viator remeat.

Anno MXCV. Magnus Oceanum ingressus, Orchadenses & Sudorenses sibi rebelles invadit, illosque perdomitos, Sivardo commendat filio regendos, ac ipfemet Scotiam infestat, cum illius rege ita demum

pacifcens , ut quaslibet Norvegia insulas imposterum , Scotiæ occiduas, æternum possideret , atque cum insigni patriam triumpho revisens.

Sed Olaus in Dania regnans inglorius , cum famis sævitia incolas horrendum adhuc flagellaret , à Deo supplex flagitat , ne diutius populum affliget , ast reliquum vindictæ in se transferret. Nec vanæ fuerunt preces , quandoquidem sequenti Olaus nocte , inter XVIII , & XIX Augusti diem videlicet , animam exhalaverit. Ordines vero Daniae quantus Erico , ex Sueonia revocato , vidua tradunt regni insignia.

Anno MXCVI. Ericus fratri Canuti amantissimus , suum erga illum declaratus amorem , funus ipsius de ecclesia S. Albani , ad cathedralē Ottoniæ basilicam , multo translatum honore , in sepulchro affabré confecto , collocavit.

Anno MXCVII. Ericus à sacris ad prophana conversus , Julinenses Danicum excutere jugum denuò molientes , acerrime impugnavit , & revocatos ad obedientiam , inhumanissimâ quadam mulctavit tyrannide. Ideo Liemarus , Scondiorum & Slavorum supremus adhuc præfūl , velut etiam propter nimiam regis libidinem , ipsi vehementer indignatus , illum decrevit anathemate implicare. Verum suo Islandi obsequentiores episcopo Gyffero , primum consentiunt decimarum pensioni , & annuæ solutioni.

Anno MXCVIII. Ericus Bremense metuens fulmen , illius antevertit vibrationem , ad Romanum appellando pontificem , illucque profectus , suum excusat facinus ; arrogantiæ incusat Liemarum , & humiliter postulat , ut Dania ab intolerabili Bremensium jugo antistitum , tandem libetur. Promissoque impetrato , domum hilaris reversus , Sueciæ ac Norvegiæ regibus idem haud difficulter ingessit desiderium. Inter hos autem principes quædam oritur controversia de Vermelandia , quam Norvegus potiori ad suum regnum jure affirmans spectare , quam ad Sueciā , illam armis occupatam , suo firmat præsidio.

Anno MXCIX. Ingo Sueonum rex , tantâ laceffitus injuriâ , Vermelandiam recuperat , indeque Noricum expellit præsidium. Hanc itaque litem , aliasque potentissimi Scondiæ principes , Ingo , Ericus & Magnus amicè dirempturi , proximâ confluunt æstate sub Kongellensium oppido ; Ubi remotis arbitris collocuti , quamlibet transigunt discordiam , & in matrimonium consentiunt Margaretha , Ingonis filiæ , à Magno ducendæ , festivâque redeunt domum pompâ.

Anno MC. Norvegus bello defunctus Suetico Irlandos aggreditur , suis infestos insulis , & primarium occupat regni emporium , ditionemque ipsi subiectam. In Dania interim Ericus fraternæ invigilavit apotheosi , & illam XIX Aprilis , operâ Aubaldi , nunc cathedralē nacti Ottonensem , aliquandiu hactenus Roschildensi subiectam episcopo , splendide consummavit , S. Canuti ossibus argenteo inclusis loculo , in ara decenter collocato.

Anno MCI. Liemarus Erici adversarius in fata concessit , & Humber tus insulam adeptus Bremensem , non magnopere laborat pro conservanda in Scondiæ ecclesiam authoritate ; ut neque successores , Fridericus & Adelberonus. Illâ vero Bremensium negligentia Scondiæ reges animati , peculiarem occœpit quilibet horum flagitare archipræfulem , & necessarium coëpiscoporum procurare numerum. Quocirca Christianissimus Sueciæ monarcha , Ingo , Lincopensi , Scarensi & Stregnensi denuò restauratis , Upsalensem adjecit episcopam , liberaliter dotatas , non ignorans has sufficere Archiepiscopæ in regno fundationi. Nec minus operæ Danus & Norvegus huic impendunt negotio ; Quorum tamen votis , & præsertim Sueonum ac Norvegorum , Latius archiflamen æquo diutius distulit suffragari,

gari. Nec adeo prolixâ reges morâ mentem clero addictam mutarunt; quem præfulesque interim tantâ decorarunt prærogativâ, quantâ olim S. Canutus Daniæ ornasset presbyterium. Magnus tamen Norvegiæ rex, suo hac in re voto non valuit satisfacere. Enimvero viator ex Irlandia redditurus, infidiis occubuit incolarum, & commilitones in patriam reversi, Osteno ac Sivardo illius filiis, orbum regni clavum tradiderunt; Quem natæ principes multa conspicui pietate, Ecclesiam Norvegiæ, obitum Magni lugentem, insigniter consolati sunt, & plurimis illam beneficiis cumularunt.

Anno MCIV. Ericus Danorum rex, exercitæ pœnitens libidinis; tyrannidis Julini perpetratæ, ac homicidii in Jutia commissi, vovet peregrinationem ad Salvatoris Hierosolymæ sepulchrum. Proinde Haraldo filio, & Nicolao suo fratri, Daniæ gubernationem, sed Canuti ac Erici filiorum minorennum, commendat educationem primariis optimatum; viamque ingressus, & aliquantulum progressus, nuncio Romam transmisso, renovat Papæ petitionem super liberatione Scondiorum à Bremensium potestate, ac iter continuat, comite uxore, & nonnullis procerum aliis per Russiam, tandemque Hierosolymam perveniens, illic pientissimam amisit conjugem, in valle humatam Josephaticâ.

Anno MCV. Ericus voto perfunctus, ex Palæstina Europam versus festinat, & delatus in Cyprum, febri corripitur, dieque X Julii moritur, ac ibi sepelitur, biennioque regius latuit Danos obitus.

Anno MCVI. Nascitur Boleslao Polonórum regi Suentoslava, quæ nupserat deinceps primum Ulodemiro, Russorum principi; Magno postea, Nicolai regis Danici filio, ac demum Suerchero, Gothorum monarchæ.

Magnus Saxoniæ Dux, mörte sublatus, Lothario principi, exinde ad Romanum quoque imperium evecto, Holsatiæ, Stormariamque, velut Saxoniæ provincias, hæreditario possidendas jure, transmiserat: Modò etiam Paschalis II. Romanorum Archimysta, tandem assiduis Danorum inclinatus precibus, archipræsulem flagitantium peculiarem, cardinalem alegat in Daniam Albericum; Is eò perveniens, Lundiam huic dignitati cæteris regni urbibus commodiorem, depræhendit, ac ipsam proindè metropolim Daniæ constituit, dominamque reliquarum VIII. cathedralium ecclesiarum, primo illi archiepiscopo Affero deputato; Cui, successoribusque quæpiam simul Norvegiæ, non Sueciæ, demandata fertur inspectio ac protectio: Sic Dania & Norvegia pervetustæ Hamburgensium ac Bremensium antistitutum subducuntur jurisdictioni.

Holensis, altera Islandorum episcopa, in boreali insulæ provincia fundatur, prædioque Holas, quod hæredes prænobilis viri, Hialtæ, in tam pium donarunt usum. Illic verò Jonas Ogmundi primus nominatus antiestes, Romam pro inauguratione contendit, & inde Lundiam remissus, à novo hujus archiepiscopo consecratur.

Anno MCVII. Nicolaus, certior factus de obitu Erici fratris, thronum Daniæ occupavit, immemor juramenti, quod Erico abituriensi præstítit, super promotione sobolis fratrnæ ad regni gubernaculum. Habuit autem Nicoláus uxorem Margaretam, Magni Norvegi viduam, & Ingonis Sueci filiam, à quâ Magnus item fuerat genitus: Sed alter Margaretæ filius, vel privignus Olaus, Ostensi & Sivardi, Norvegis dominantium frater, hoc fatis anno præmaturis nimium abripitur, & Malfredis, Erici regis in Cypro mortui filia, à Sivardo conjux ducitur.

Anno MCXIV. Nicolaus svasu Hubaldi Ottoniensium præfulis, illic cœnobium S. Canuti, à monachis inhabitandum Benedictinis fabricavit, & redditibus ornavit amplissimis.

Anno MCXV. Sivardus Norvegiæ rex, LX navium classe Oceanum ingressus, in Anglia, Italia, Sicilia, Hispania & Africa, integro triennio, eximia militiæ facinora exhibuit, opesque corrasit immensas, interim Osteno fratre, regnum domi ex partis moderante.

Anno MCXVI. Cum Sivardus in transmarinis ita belligeraret ac triumpharet regionibus, Ostenuis domi patriæ intentus emolumenis, cœnobium Bergæ construxit Benedictinis nobilissimum, simulque illic ecclesias S. Pauli & Michaëlis Archangeli, ac Nidrosiæ S. Matthiæ, amplissimas erexit; ut etiam rure, Vogensem, Agdenensem & Helgalandenensem. Nec interim negotia negligens politica, suâ efficit prudentiâ, ut Jemptia, Sueonibus aliquanto haetenus tempore subiecta, Norvegiæ redderetur.

Anno MCXVII. Consummato propemodum Ottoniæ monasterio, Paschalis Romanus antistes, prescriptis ex civitate Anagniana literis, ad Nicolaum Daniæ regem, ipsius depraedat ideo pietatem, liberalitatemque.

Anno MCXVIII. Sivardus triumphis ornatus, & opibus ditatus, Hierosolymam religionis ergo invisit; Quando ab urbis Patriarcha frusto crucis Dominicæ donatur, indeque Constantinopolim profectus, residuum classis imperatori largitur, & terrestri properat itinere Norvegiam versus.

Anno MCXIX. Sivardus in patriam reversus, plurimas fratri lites intentat; administratæ postulat rationem provinciæ, & varias tendit insidias, perigrinis elatus gazis ac victoriis.

Anno MCXX. Comes Schouenburgensium Adolphus, à Lothario Cæsare Holsatiæ atque Stormariam, sub jure consequitur beneficiario. Et Calixtus II. Concilium celebrat Rhemense, ubi renovato ac promulgato prohibet edito presbyteris, diaconis & subdiaconis conjugium; Quod in Sondia etiam publicatum, plurimis à clero negligebatur annis, in sententiam fortassis Græcorum propendente.

Anno MCXXI. Sivardus, mortuo fratre, Norvegiæ monarchiam adeptus, Gothiam populatur australiæ, prætendens minus sinceram illic observari religionem, ipsemet forsitan schismaticæ studiosus. Romanæ autem fidei addicissimus Jonas, Holensium episcopus, mundo valedixit, & post LXXX annos, divorum fuit inscriptus catalogo.

Anno MCXXII. Chetillus Jonæ subrogatus, in subsidium vocato Scalholtenium antistite, jus Islandiæ canonicum adauxit.

Anno MCXXIII. Haraldus quidam ex Irlandia in Norvegiam adveniens, se fratrem Sivardi perhibet, & illæsus per IX cudentes incendens vomeres, nudis plantis, fidem adstruit suæ assertioni, ac regni obtinet portionem.

Ascerus Daniæ primas, XXX Junii, solenniter encænia peragens basilicæ Lundensis, nunc multo magnificentius consummatæ, ipsam honori Baptiste, præcursorisque Dominici & Patriarcharum, Prophetarumque, dedicavit. Adelberonus autem mortuo Frederico substitutus, non se, ut neque successores, amplius scribebat Hamburgensium, & Sondiorum archipræfulem, vel sedis Apostolicæ legatum, contentus ægre titulo Episcopæ Bremensis. Nec hostilis unquam gladius, teste Alberto Crantio, tantum damni Ecclesiæ intulit Hamburgensi, quantum Sondiæ ista inflixisset subtræctio.

Anno MCXXVII. Carolus Flandriæ comes, & S. Canuti, quondam regis Danici filius, XIV. Februarii, in templo Brugæ per summum scelus à sicariis trucidatur. Verum Sivardus Norvegiæ rex naturali decedens morte, Aslogiæ in templo S. Halvardi humatur, non Kongellæ; quamvis hic vivus libentius & frequentius moraretur; hancque ideo civitatem, regio palatio in cœnobium deinceps converso; Eccecia parochiali, & aliis ædificiis

cis ornaverit plurimis, atque privilegiis eximiis. Secundum vero exequias, Magnus Sivardi filius Aslogiae parenti successor declaratur; Et Bergæ Haraldus, Magni patruus; Quos tamen inter pax floruit quadrima, regno diviso, nec ausus competitorem Magnus impugnare, quod incolis esset percharus. Liquit insuper binas Sivardus filias, quarum una nomine Christina, nupserat Erlando Schake, & altera Erico, Danorum regi, Emund appellato.

Anno MCXXVIII. Quod illustris princeps Canutus, regis Erici filius, non solum ducatu frueretur Slesvicensi, ast etiam ab Henrico, Vandalorum rege ultimo, throni hæres Slavonici esset deputatus, in illoque per Lotharium Cæfarem deniò confirmatus, & alias Danis foret ob vitæ innocentiam pergratus, ipsum Nicolaus patruus, Henricus & Magnus, patrueles, coeperunt plus quam odio Vatiniano clam insectari. Cujus omnino ignarus Canutus, Obotitorum rex, ad nuptias invitatus Magni, Ripam Jutiæ proficisciit; Quas modò illic celebravit cum Suentoslava Uodemiri vidua, & Boleflai Poloni filia, quæ Canutum ipsi deinceps fuit enixa. Atqui Henricus ille præfatus, cognomento Scateler, natus erat Suenone, VI. Estritii filio, maritus Ingridis, gener Ragvaldi, & progener Ingonis, regum Suecorum, ex illaque suscepit Magnum, Sueciæ competitorem, & S. Erici Jedvardi cæforem. Illius vero proavus Ingo maternus, jam vergens in senium, sanctimonialibus de ordine Benedictino, occœpit in pago Vretensi fabricare cœnobium, quod ille, uxor Helena, Ragwaldus atque Magnus quidem fundis donarunt plurimis.

Anno MCXXIX. Ostrogothi Suecicum pertæsi jugum, Ingona ferali potionie in pago sustulerunt Vretensi, fabricæ intentum monasticæ, & non expectato Sueonum suffragio, protinus Suercherum provinciæ Dynastam, regiæ forsitan necis complicem, elegerunt. Is fuerat Cornuchæ, in Kindia satrapæ filius; nepos Colonis, qui extrema baptizatus senectute, mox in albis moritur felix vestimentis, inque cœmiterio primus sepelitur Kagano; pronepos Katilli, qui subveritus, ne Christianis initiaretur sacris, trienniò ante obitum infauistus sepulchrum ingreditur. Verum ad parentalia redeundum Christianissimi regis Ingonis, qui corporis requiem in Vretensi fuit adeptus ecclesia, ubi & conjunx superstes Helena, monasticen professa, membraque post obitum posuit defessa. Interim Sueones & Vestrogothi, Ingonis amantissimi, regni porrigunt sceptrum, Ragvaldo illius filio, Knaphöfde nuncupato, propter mentis, corporisque odiosam elationem.

Anno MCXXX. Margareta Ragvaldi germana, & regina Danorum laudatissima, mortem oppetiit, ac inde Nicolaus Alvildam, regio apud Norvegos sanguine procreatam, sibi despondet; Quam nihilominus rex Ostrogothorum Suercherus, ad suos traductam deinceps amores, conjugem obtinuit, quæ Johannem & Carolum illi genuit. Sed Magnus Norvegiæ princeps Christianam fuit nactus uxorem, Canuti filiam regis Obotitorum, & matrem Sophiæ, Carolo Sueonium regi postmodum de-nuptæ. Porro Christina deinceps à Magno repudiata, forte quod illius esset amitina, in Daniam rediit, exindeque fortuna Magno adversata; Qui tamen hoc anno patruum in Vicia incautius morantem aggressus, in Daniam fugavit.

Anno MCXXXI ineunte, Ducem Canutum Nicolaus ipsius patruus, VI. Januarii, convivio Roschildiæ magnifico exceptus, indeque Canutus à Magno patruele, ad amicum sub Ringstadio colloquium invitatus, postridie cum paucis illuc comitibus proficisciit, ubi tamen perfidissime trucidatus à Magno, in Ringstadiensi traditur monasterio sepulturæ. Coniux vero

verò Ingeburgis, post octiduum enixa Valdemarum posthumum, qui Danorum postea rex evaserat gloriosus. Ast proceres Daniæ, tam enormi scele-re commoti, in principem admisso innocentissimum, charissimumque, in patrem sicarii filio conniventem, adjunctis sibi aliis regni ordinibus, insur-gunt; Quos ille placaturus oppidò furentes, Magnum jubet regno ali-quandiu excedere. Is proinde vicinam Daniæ, Vestrogothiam ingressus, blanditiis incolas permovit, ut se pro rege susciperent, repudiatusque ab illis fuerat Ragvaldus Magni avunculus. Non tamen Dani hinc facti sedati-ores, Erico, Canuti ducis fratre, ad solium promoto, cum Nicolao, Magnoque Vestrogothorum, Noricorum & Polonorum auxilio subnixis, sæ-penumero confixerunt. Verum isto Haraldus anno, copias in Dania na-ctus auxiliares, in Norvegiam regreditur, & Magno regni æmulo Bergæ capto, expungit oculos, ac pedum uno mutilatum, in Nidrosiense detrudit cœnobium.

Anno MCXXXII. Ragvaldus Vestrogothiam recuperatus, illam invadit, quem populis Magni fretus exercitu, sub villa excipiens Carleby-gensi, cecidit. Itaque victor Magnus Sueciâ etiam potitus, non minori eam calamitate, quam prius Daniam aliquandiu involverat. Quando Sivardus quidam peregre in Norvegiam rediens, se Haraldi regis fratrem profite-tur; sed mendacii convictus, ad necem queritur, fugâque elapsus præ-subitâ, cum fautoribus Magni occæcati in Haraldi consipirat interitum. Isto demum anno Praemonstraten-sium ordo monachorum, in Scondiam pri-mo nactus est accessum.

Anno MCXXXIII. Sivardus noctu conclave invadens Haraldi, eum peremit inermem; Huic tamen filii subrogantur, Ingo, Sivardus & Oste-nus; Sed Birgitta filiarum una, Birgero Sueonum Jerl seniori, & altera Cecilia Vermelandorum toparchæ, nupserunt.

Anno, ut reor, MCXXXIV. Perstabant adhuc in Gothlandia, Sue-ciæ insula, illi magnitudinis immensæ, Joviales, seu Thoronis mallei, quibus, Deo in aëre sonante, veteres olim Goths, in terra horribiles ediderunt fra-gores, quos inde Magnus avectos in Daniam perfidissime transtulit. Ve-rum in Norvegia Sivardus, Haraldo cæso, & Bergæ condito, Magnum cæcum ex clauistro producit, per quem favores Noricorum frustra captavit, ac ideo in Daniam cum ipso protectus, inde limitem Norvegiæ identidem infestavit.

Anno MCXXXV. Nicolaus ab Erico, Canuti fratre, sibi bellum co-gnoscens inferendum, advocat Magnum ex Sueonia in auxilium, qui cum suis copiis, paternis non expectatis, hostem in Scania temere aggressus, fe-sto sanctissimæ Pentecostes, in IV Junii diem incidente, vitam & victori-am amisit, unaque V. Episcopi, LX. presbyteri ac miles copiosus. At-qui Nicolaus tardiuscule adveniens, cognito filii infortunio, ocyus inde Slesvicum profugit, ubi quoque ab incolis trucidatur. Sic Deus tantæ vio-lationem solennitatis, & Canuti ducis interitum vindicavit. Nec illud animadvertisens Dei consilium Boleslaus, cognomento Crivoussius, Polo-niæ rex, sed generi, cædem ulcisci volens, mareque cum grandi emensu-s exercitu, propterea Daniam ferro & flammâ truculenter mulctavit.

Anno MCXXXVI. Ericus post abitum Boleslai, habenas regni Dan-i-ci, sibi duntaxat & suis liberis, posterisque porrigeret desiderans, arma in fratrem convertit Haraldum, quem deinceps & filios ipsius vitæ spoliavit usurpis. Hac autem Erici tyrannide præful Roschildensium Eschillus, offensus, illum impugnavit, & tandem superatus, plurimo ipsi auro numerato, grati-am recuperavit. Pari etiam successu Danus cum Rugianis & Norvegis belligeravit & triumphavit.

Anno MCXXXVIII. Afferus, Danorum primus Archipræfus, de vita migravit, & præfatus Selandiæ antistes, Eschillus contribulis, Scaniæ cathedralm occupavit; Quo etiam tempore Suercherus Gothorum rex, Sueoniæ simul thronum impetraverat.

Anno MCXXXIX. Danus propter nimiam in subditos tyrannidem, Ripæ in frequenti ordinum conventu, XIV Septembris, ab uno procerum interficitur, & Ericus, sorore illius genitus, substituitur, qui modico patræ emolumento aliquandiu regnavit.

Adolphus II Schouenburghensium Comes, beneficio Henrici Leonis Saxonum principis, Hosaltiam atque Stormariam in feudum consequitur.

Anno MCXL. Adolphus Lubecum condidit, & rex Suercherus in Ostrogothia amœnissimum cœnobium, de conjugis nomine Alvilstad, postea Alvastra vocatum, ab illo uxoreque largiter dotatum, ac Benedictinis assignatum, ut etiam Herevadense in Dania, quod hoc pariter anno fabricatur.

Richolpus, Fioniæ antistes, ab Innocentio II. impetrat facultatem monachis S. Canuti Ottoniensibus, episcopum, vacante sede, subrogandi. Et Theodignus legatus pontificis, concilium Lundiæ celebravit, quo præsules Daniæ ac Norvegiæ, unusque Sueciæ, Gislo nominatus, promptè confluxerunt.

Hunc circiter annum B. Helena, nobilissimis orta parentibus in Vestrugothia, Hierosolymis reversa, ab inhumanissimi generi sui familiaribus, dum ad encænia Gothenensis festinaret ecclesiæ, XXX Julii, citra ullam occiditur culpam, & in portico templi Schiœduicensis, quam, ecclesiæ illa fabricavisset, sepelitur.

Anno MCXLI. Consors Suercheri Alvilda, fatorum violentiæ succubuit, Alvastræ tumulata; Et à rege Sventoslava, Magni regis vidua, postmodum ducta in matrimonium, genuit ipsi Colonem ac Bugislavum. Norvegiam vero Danorum ope, Sivardo & Magno cæco impugnantibus, Ingo, Sivardus ac Ostenus, fratres, utrumque congressi adversarium, commilitonesque, ceciderunt. Sed in Dania modo B. Claudius, Arhuiensium olim præpositus, miraculis inclarescit, de quorum veritate regni præsules, mandato pontificis Romani, inquisiverunt.

Hoc, & sequenti, annis, Sivardus Upsalensium IV episcopus, in negotiis suæ Ecclesiæ apud Adelberonem Bremensium antistitem fuit constitutus. Indeque liquet Sueones adhuc Lundensi non auscultasse Primiati.

Anno MCXLII. Ingo regum primarius Noricorum, cognoscens sibi fratres exitium machinari, Sivardumque horum unum, mense Junio in primis aggressus, de medio vitæ sustulit, illic humatum, filiis VII superstibus, Haquino, Gutormo, Suenone, Sivardo, Erico, Haraldo & Suenone.

Anno MCXLIII. Olaus, Danici regis amitus, quod causam morti Richonis Sielandiæ antistitis, præbuisset, anathemate percellitur.

Anno MCXLIV. Idem Olaus adversus ipsum insurgens regem Ericum, bello cecidit Scanico; sed vixit mox à Vandaliis turpiter devictus, vitam Ottoniæ monasticam amplexatur; Sueno autem Erici Emund filius, diadema consecutus Daniæ, per septennium variâ de illo fortunâ cum Canuto Magni & Sventoslavæ filio, decertavit.

Elias, Ripensium episcopus, illic fundationem collegii Canonorum orditur, in quo etiam sacræ explanatio scripturæ eslet instituenda, quod in aliis S. Augustini cœnobiosis eadem semper viguisset consuetudo. Verum in Gothia meridionali, regis Suercheri ac Gisonis episcopi munificentia, surgit Benedictinis habitatio Novevallensis.

Anno MCXLV. Ostenus Nörvegus , fratriis mortem Sivardi vindicaturus , Ingoni marte congrederit navalī , & superatus , fugit in Vi-chiam , ubi captus , gladio percutitur , ac in ecclesia nactus Fossensi sepulturam . Fertur innocentiam signis prodiisse , fontemque loco cædis erupisse limpidissimum . Sectatores porro Osteni , aduersus Ingona insurgentes , bellum continuant , & Haquinum Sivardi filium regem appellant , indeque Norvegia civili aliquandiu concutitur miserrimè tumultu .

Eschillus magnificam Lundensium basilicam , hoc anno magnificen-tius consumatam , teste inscriptione superliminari , calendis Septembris , virginī Deiparæ , divoque Laurentio dicavit . Quando illam simul precio-cissimis donavit ornamentis , & Archilevitam illic , Decanum , Oecono-mum , frequentiores Canonicos ac Cantores , de redditibus abunde provi-sos , instituit .

Anno MCXLVI. Haquinus competitor Norvegiæ , sub Kungella cum Ingone infeliciter configens , in Sueonia cōptat refugium , & hinc patriam armis crebrò posteā impetivit .

Anno MCXLVII. Ericus , quondam Daniæ monarcha sublimis , & nunc monachus Ottoniæ humilis , in fata concessit .

Anno MCXLVIII. Elias , Ripenlis episcopus , suis concedit Assessoribus potestatem , unā secum vacanti Canoniæ providendi . Ast Suercherus jam capulo proximus , Carolum filium regni consortem , & successorem , Gothi non Suecis consentientibus , designavit .

Anno MCXLIX. Suercherus rex Sueciæ , & Eschillus Daniæ primas , missis in Galliam literis ac nunciis , binas in Scondiam poscunt monacho-rum turmas , à S. Bernhardo nuper reformatorum . Verum Sueno , Dano-rum rex , cum Canuto belligerans , Archipræfulem habet suspectum con-jurationis cum æmulo initæ . Ideoque per Iudibrium , sub templi fornice Lundensis , in cophino paulisper ipsum suspendit . Illum verò demissum placaturus insontem , huic ad perpetuam ecclesiæ possessionem Ahusensem urbem , arcemque donavit , ac simul Liugnicense in Sconia territorium , atquæ ternas insulæ Borenholmenis portiones , sibi & successoribus in thro-no , unam ibi duntaxat reservans . Isto denique anno moritur Uratisla-
-xiæ , famosus & illustris ille Danus , Petrus Duvinus , conditor illuc monasterii quod incolunt Praemonstratenses .

